

05

A

1634

Disputatio Theologica,
De
POENITENTIA.

Quam
DEO JUVANTE,
SUB PRÆSIDIO,
Reverendi & Excellentissimi Viri,
DN. THEODORI
THUMMII, S. S. THEOLOGIÆ
Doctoris, ejusdemq; Professoris,
& Ecclesiæ Decani,

Defendere conabitur
M. JOHANNES CHRISTO-
PHORUS HESS, UHINGENSIS,
SS. Theol. Stud. Stip.
Princ.

Ad dies & Julij.



TVBINGE,
Typis & Formis Werlinianis, Anno

M. DC. XXIX.

Diphysico Theologico

de

LOE NIE TITIA

de

DEO IUVANTE

et
pro

DN. THEODORI

THEOLOGICAE

IMMUNIS

THEOLOGI

CHRISTIANAE

THEOLOGIAE

THEOLOGIAE

THEOLOGIAE

THEOLOGIAE

THEOLOGIAE

THEOLOGIAE



Disputatio Theologica,
De
POENITENTIA.

I.

EUM OPT. MAX.
 per Mosen populo Israel mandasse legimus Lev. 4. Si quando contingeret, ut populus ipsum vel universus vel singuli laceſſitum ad poenatas cogerent condignas: pro peccato offerendum esse vitulum, quo non solum peccata sua confiterentur, sed de iisdem etiam doleant, veroque sacrificio, Christo, pro peccatis ipsorum offerendo iniici seſe testarentur. Hic ritus omnibus in V. Testamento Israelitis fuit communis, quicunque peccato inquinabatur. Cum autem & nos in omnibus offendamus omnes, Iac. 3.2. & non sit homo qui non peccet 1. Reg. 8.46. ut ita omnes ac singuli quotidie necesse haberemus, Deo offendit ac irato sacrificia offerre: Ipse vero non accipiat de domo nostra vitulos, neque de gregibus nostris hircos, Psalm. 50. 9. nolitq; adipem pinguium, & sanguinem vitulorum, & agnorum & hircorum, Esa. 1. 11. misericordiam velit, & non sacrificium. & scientiam Dei plus, quam holocausta, Oſe. 6.6. Matth. 9. 13. vanum quoque foret, cuivis in Deum peccanti ritus illos divina jam Christi autoritate ejusq; exhibitione & passione antiquatos imitari, in illis verò remedium querere: interim verò Deus non velit aliquas pertire, sed omnes ad Poenitentiā reverti, 2. Pet. 3.9. velitq; omnes homines salvos fieri, 1. Tim. 2. 4. constituit Optimus

A 2

mus

mus Deus saluti nostræ consulere, illiusq; ergo fini tam salubri & beatæ salutaria destinavit media, non tam in V. quām in N. Test. quibus homo adiutus divinæ misericordiæ, vitæq; beatæ hæres fieri posset, è quorum numero postremas non tenet *P O E N I T E N T I A*, sive salutaris ad Deum Conversio, de qua (cum ad ipsam non modò materiæ dignitas & utilitas, sed & temporis occasio nos accommodare meritò debeat) brevem *θεωρίαν* ordiri, & cum DEO pertexere animus est.

I I. In limine autem circa ipsum vocabulum offert se 1. *Επιμολογία*, quæ est 1. HEBRÆA, in vocabulo ἡ πένitεντη quod *regressum* vel *reditum* vertunt interpp. à rad. **πέν**, *redit* quæ vox tam ad *animum*, quām ad *voluntatem* referri potest, comprehenditque & terminum à Quod o & ad Quod em. 2. LATINA, eaque vel accipienda, vel reicienda. Rejicienda est ea, qua Hugo lib. 3. de myst. Eccles. Pœnitentiam dicit, *quasi punientiam*, è quod per eam homo in se puniat, quod male admisit; ut & Lombard. lib. 4. sent. dist. 14. lit. A. consentiens, quod Pœnitentia dicatur à *puniendo*, qua *quis punit illicita, qua commisit*. Nec minus Scotus, Bellarminus & reliqui, qui Pœnitentiam dicunt, *quasi pœna tenentiam*. Addita tamen distinctione si vocabulo *pœna* appelletur LATè omne id, quod fit cum quodam dolore, probari posse has *ſententias*. Acceptabilior verò videtur ea, qua Erasmus derivat à *ponē tenendo*, quod est posterius *confilium capere*, ita ut pœnitentia dicatur, quando quis ea, *qua probaverat, dicta vel facta nunc improbat, & qua facienti prius placuerant, nunc displicant*. Huic Etymologiz respondent usitatæ illæ Veterum descriptiones: *Pœnitentia*, dicit Ambrosius, *est mala praterita plangere, & plangenda iterum non committere*. Gregorius: *Pœnitere est, anteacta peccata deflere, & flenda non committere*. Lactantius: *agere Pœnitentiam, nihil aliud est, quam profiteri & affirmare, se ultraius non peccaturum*. 3. GRÆCA, in vocabulis *Μετάνια* & *Μεταμέλεια* quæ accurate intuentibus discriminis aliquid alere videntur, ita ut *Μετάνοια* mutationem mentis, *μεταμέλεια* verò voluntatis indigit: μετανοεῖν enim est post factum sapere, & consilium in melius mutare, cui vox *Reſpicientia* non incongrua:

μετα-

μετέμελεσθαι vero est post factum aliquod sollicitum esse & alia ad priori velle vel desiderare. Voluntalij, differre haec duo quoque in eo, quod metempsita sit conversio tantum salutaris & piorum; μετέμελεσθαι vero etiam impiorum; cum tamen diversum est Sacra Scriptura pateat, quod 70. Interpp. promiscue usurparint.

III. 2. *Oμωνυμία.* Tribuitur enim Pœnitentia in S. Scriptura ratione Subiecti, vel Deo, vel hominibus. De DEO dicitur, non quod animus aut voluntas Dei mutetur, ita ut preterita plangar, & facta infesta cupiat; Triumphantor enim in Israel non fasset. & non pœnitentib; eum; neque enim homo est, ut agat pœnitentiam. 1. Sam. 15. 29. non est Deus, quæsi homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut pœnitentia eum; Num. 23. 19. nec presupponit haec pœnitentia in Deo vel errorem iudicat, aut imprudentiam lapsus, quæ cum animi perturbatione conjuncta sit; Deus enim, quia est omniscius, errare iudicio, aut imprudentia labi non potest: cumque sit absolute bonus ac beatus, commotio quædam, affectuumque perturbatio in eum non competit. Dicit autem Scriptura Pœnitentiam de Deo duobus modis, 1. ἀνθεμοπαθεῖς quia Spiritus Sanctus, ad nostrum captum se demittens, humano more de Deo nobiscum loquitur; ut enim cum homo ab opere suo incæpto desistit, pœnitere dicitur; ita per similitudinem effectuum, cum Deus contra naturam & voluntatem suam beneficia, quorum in homines largissimus est, ob peccata hominum inhibere, & mala condigna retribuere cogitur, pœnitere dicitur, non quod Deus, ut nostri Theologi hactenus mentem suam exposuerunt, in sua essentia, & in suis decretis mutabilia aut imprudens sit, ut aliquid agat, cuius postea ipsum pœnitentia; sed hac figurata de Deo dicuntur. Tribuitur enim Scriptura DEO affectus, ut aliquo modo ipsius voluntatem nobis exprimat. Sic pœnitere & contristari dicitur Deus, quando sclera hominum tantopere detestatur, ut de delendis sceleratis cogites. Et in hunc sensum intelligenda sunt dicta Gen. 6. 6. 1. Sam. 15. 35. 2. ἐργανώσῃς, quæ nihil aliud est, quam mutatio de pœnarum irrogatione, quod patet ex Ierem. 18. 8. ex quo intelligitur, quod Deus, cum penas impijs cum condizione prævaricationis &

Disputatio Theologica,

pertinacie minatur, pœnitere dicatur, quando ab executione minarum abstinet, pœnasq; intentatas à conversis & pœnitentibus avertit, ut à Ninivitis, Ion. 3. 10. HOMINIBVS quando tribuitur, sumitur vel generalius, vel specialius. Generaliter & abusivè pro quavis consili & propositi mutatione, sicut Exod. 13. v. 17. Hebr. 12. 17. Specialius sumitur vel pro externa Pœnitentia, sive internis conversionis motibus, internam conversionem testantibus, 2. Paral. 33. 12. Matth. 11. 21. Ion. 3. 6. Vel pro internis motibus: idque iterum dupliciter, vel μετανοῶς, pro sola contritione, altera parte, Marc. 1. 15. Luc. 24. 48. Act. 20. v. 21. Vbi notanda regula: quando in N. Test. Pœnitentia adiungitur Fides, tūm accipitur tantum pro contritione: vel ὀλιγως, ut cum Contritione etiam Fidem complectatur, Ierem. 18. 8. Matth. 9. 13. Ethicæ acceptio hujus est loci.

IV. 3. Σωτηρία. Dicitur Pœnitentia, Marc. 1. 4. Act. 11. 18. Conversio, 1. Reg. 8. 35. Esa. 59. 20. 2. Paral. 7. 14. Ier. 18. 8. Ezech. 18. 30. 2. Tim. 2. 19. Deut. 30. 2. Ier. 3. 7. c. 15. 19. Act. 3. 19. c. 26. 18. Circumcisio, Ier. 4. 4. Resurrexio prima, Eph. 5. 14. Colos. 2. 12. 13. Apoc. 20. 6. Renovatio, Rom. 12. 2. Eph. 4. 23. Regeneratio, Iacob. 1. 18. 1. Pet. 1. v. 23. Resipientia, 2. Tim. 2. 26. Confessio, Prov. 28. 13. 1. Ioh. 1. v. 9. Trinitas secundum Deum, 2. Cor. 7. 10. Declinatio à malo, & propositum bonum, Psal. 37. 27. &c. Quod referri possunt etiam Epitheta Veterum, de quibus videantur alij. Et hæc de Οὐρανολογίᾳ: Sequitur nunc περιγματολογία.

V. Definirur Pœnitentia, quod sit salutaris hominis peccatoris ad Deum Conversio, qua agnitis peccatis & irâ Dei adversus illa expavescit & dolet, & fide in Christum mediatorem se erigit, certo sibi propter illum remitti peccata statuens, quam melioris vita propositum & bona opera sequuntur. Continet hæc definitio Pœnitentia tum constituentia, tum consequentia. Causa enim EFFICIENS PRINCIPALIS est Deus, sive tota SS. Trinitas, & nominatim Spiritus Sanctus, quod probatur I. DIETIS Scriptura, 1. Reg. 18. 37. Ier. 31. 18. 19. Thren. 5. 21. Ezech. 36. 25. 26. Act. 5. v. 31. 2. Tim. 2. v. 25. II. Rationibus ab analogia fidei petitis; 1. est à iustificatione hominis, tali argumento: Qua est causa iustificationis peccatoris coram Deo

de Pœnitentia.

7

Deo, eadem etiam est causa Resp̄scentia eiusdem. At solus Deus est Principalis causa Iustificationis hominis peccatoris coram Deo. Ergo. Connexio Majoris bona est, quia causa finis, est etiam causa mediorum, sive: qui dat finem, dat etiam media ad illum finem ducentia. Pœnitentia autem habet se respectu Iustificationis, ut medium ad finem, quia nemo iustificatur, nisi cuicunque missa sunt peccata, Rom. 4. v. 7. 8. Psal. 32. v. 1. nemini remittuntur peccata, nisi qui per pœnitentiam de peccatis suis doleret, & fide in Christum se erigit, Ier. 3. v. 12. 1. Ioh. 2. v. 1. Minor probatur pluribus evidenterissimis S. Scripturæ dictis, Rom 4. v. 5. Esa. 53. v. 11. 2. à Conditione hominum, tali forma: Quicunq; dicuntur habere cor lapideum, sunt mortui in peccatis, comparantur ovinæ perdita, drachma, &c. si seipso convertere non possunt. At omnes homines ex natura sua dicuntur habere cor lapideum, Ezech. 36. v. 26. esse in peccatis mortui, Eph. 2. v. 1. comparantur ovinæ & drachma perdita, Luc. 15. v. 4. 8. Ergo. Si autem seipso convertere non possunt, ab alio convertendi sunt, quem solum Deum nobis proponit Scriptura. 3. A natura pœnitentia. Resipiscientia est donum supernaturale. Ergo supernaturalem habet causam. Ratio consequentia est, quia effectus non excedit virtutem sua cause; & Causa non est deterior suo effectu. Antecedens probatur: quicquid non est in nostris viribus, id non est naturale. Resipiscientia non est in nostris viribus, ut in præcedenti probatione demonstratum. Ergo 4. ab universalis virium & facultatis nostra negatione, Ioh. 6. v. 44. nemo venit ad me, nisi Pater traxerit eum. 2. Cor. 3. v. 5. non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. III. Testimonij Patrum; August. de Fide ad Petrum cap. 31. dicit: Firmissime tene, & nullatenus dubites, neminem h̄c posse hominum Pœnitentiam agere, nisi quem Deus illuminaverit, & gratuita sua miseratione converterit. Gregor. hom. 8. in Ezech. Quis illam Mariæ Magdalena infudit intus, nisi qui benignè suscepit foris? Et sic de reliquis. Ex quibus appetet, principalem salutaris hominum conversionis causam esse Deum. Quod autem nominatim & in specie Conversio Spiritui S. tribuitur Heb. 10. v. 15. causa est, quod ministerium verbi, per quod Spiritus S. Pœnitentiam ope-

operatur in cordibus hominum, ministerium Spiritus S. dicitur, 2. Cor. 3. v. 8.

V. I. Causæ ADMINISTRÆ sive MINISTERIALES sunt ministri verbi Dei, & alij pīj, qui lapsos ex verbo Dei de peccatis suis admonent, contritosque spe erigunt, 1. Cor. 3. v. 5. c. 4. v. 1. Act. 16. v. 17. Ier. 1. v. 10. Amos. 3. v. 7. Instrumentales causæ, per quas Deus conversionem salutarem in cordibus hominum operatur, sunt *duplices, reales & verbales*. VERBALIS est Verbum Dei illud *περιφρενην*, quod ordinariè est medium necessarium ad efficiendam conversionem hominis peccatoris ad Deum, Rom. 1. v. 16. Marc. 1. v. 15. Rom. 10. v. 17. Heb. 4. v. 12. Cum autem, ut infrā demonstrabitur, duæ sint Pœnitentiæ partes, *Constitutio scil. & Fides*, duo etiam sunt in hoc negocio *Verbi Dei*, ut instrumenti, officia. Vel enim deducit hominem ad agnitionem suorum peccatorum, conscientias terret, & de suis meritis desperare inbet, quam partem Legem appellamus, Rom. 3. v. 20. c. 4. v. 15. cap. 5. v. 13. Vel conscientias onere & pondere peccatorum per seipso territa erigit, unico fundamento Christo, 1. Cor. 3. v. 11. suffulcit, atque spe in Christum exhilarat, quod Evangelii officium est. Ad verbale hoc Instrumentum pertinent 1. adhortationes & admonitiones Dei ardenterissime, Ier. 3. v. 1. Matth. 3. v. 8. c. 4. v. 17. 2. comminationes, Luc. 13. v. 3. 1. Cor. 6. v. 9. Gal. 5. v. 21. Ier. 6. v. 8. c. 18. v. 11. REALES sunt, 1. *Craix*, quæ ad resipiscientiam nos impellit, Psal. 119. v. 71. Esa. 26. v. 16. c. 28. v. 19. 2. *Beneficia Dei*, Rom. 2. v. 4. Quæ pertinent etiam commoditates futuræ æternæ vitæ, Actor. 17. v. 30. 31. 3. *miracula*, Actor. 3. v. 11. cap. 4. v. 4. c. 13. v. 12. 4. *Mortis & passionis Dominice*, aliorumq. ira divina exemplorum, consideratio. Induit autem passionis Dominicæ consideratio duplē respectum pro diverso considerandi modo. Si enim ratione causæ *περιγραφής*, misericordiæ Dei, & ratione effecti, reconciliationis cum Deo estimetur, *Evangelica* est, Rom. 5. v. 9. 10. Sin vero ratione causæ *περιγραφῆς*, ira Dei, Esa. 53. v. 6. cap. 64. v. 2. Psal. 69. v. 8. *legalis* est.

VII. FORMA Pœnitentiæ consistit in conversionis modo, nepe in flexione & mutatione cordis. Consistit autem hic modus intra

de Pœnitentia

9

intra duos terminos , à Quo & ad Quem . Terminus à Quo est
vetus homo , sive peccatum ; ad Quem est novus homo , sive
Spiritus , ut Paulus loquitur Rom . 6 . v . 6 . Eph . 4 . v . 22 . 24 .
Colof . 3 . v . 9 . 10 . Hic notandum I . per hominem non intel-
ligi ipsam substantiam hominis , ex anima & corpore constantem ,
quam nullus hominum , dum hac vitali aura fruitur , depo-
nere potest , sed per hominem innui ipsius adiuncta & acciden-
tia vetera vel nova . Fieri autem 1 . hoc posse , patet ex alijs
scripturæ locis , ubi vel σωματικὸς pars prototypos , Gen . 46 .
v . 26 . Ezech . 18 . v . 20 . vel totum pro parte . vel μετωνυμίας
subiectum pro adiuncto ponitur . 2 . fieri autem id etiam hisce
in locis ex σωματικῷ textūs appetet ; jubet enim Apostolus
homines id , quod fieri potest ; esset enim alias aut illusor , aut
hypocrita ; at homines jubet deponere veterem & induere no-
vum hominem , quod de subiecto , seu substantia intelligi non
potest ; cum suam ipsius substantiam deponere nullus possit , &
tamen manere superstes : nec jubet nos deponere hominem , id
est , solvere unionem corporis & anima , & sic nosmetipso de-
struere , esset enim hoc Deo , ipsiusque præceptis contrarium :
Ergo vult nos veteres & antiquos mores deponere , adiuncta scilicet , non ipsum subiectum . II . Per veterem hominem non
intelliguntur adiuncta , ratione temporis vetustissima ab origine
statim mundi ; nec per novum , nuperissime introducta . Primus
enim homo conditus erat ab initio ad imaginem Dei , Gen . 1 .
v . 26 . 27 . cuius intellectus excellenti Dei , Angelorum &
omnium creaturarum plenā , rectā & ordinatā scientiā , ab
omni errore & dubitatione immuni cognitione præditus
erat , voluntas naturali ad bonum propensione , & libera fa-
ciliq ; istius propensionis executione exornata ; appetitus sen-
sivus harmoniā cupiditatum & affectuum cum recta ratio-
ne instructus : quam utique imaginem nec Deo , nec Apostoli
unquam deponend m duxerunt , sed potius reassumenda eius
suafores fuerunt acerrimi , Colos . 1 . v . 9 . sicut nec per novum
hominem novi ejusdem mores , qui ei iam creato accesserunt . &
nihil aliud sunt , quam varia virtus & sceleris , quæ Deus non
vult , poscit & vult . sed odit . Pi . 5 . v . 5 . Relinquitur ergo III . Per
veterem hominem intelligi veteres illos mores primi nostri Pa-
rentis

B

rentis



Disputatio Theologica,

renis Adami, non ut *in statu perfectionis*, creati, sed ut *iam lapsi*, extra illam *imaginem divinam constituti*, & *in densissimam ignorantiam demersi*, ut ita *vetus* & *novus* dicatur respectu NOSTRI, non ADAMI, quia ut *primum nascimur*, ignorantiam in spiritualibus, corruptionem voluntatis, & depravationem omnium virium nobiscum congenerata ferimus, quæ Spiritus S. deponenda dicit: per *induitionem vero novi hominis* intelligitur *indutio Christi* non *quoad substantiam*, sed *vel quoad eius obedientiam*, quam in regeneratione fide nobis applicamus, *vel quoad eius dona in renovatione vita*, per quæ Spiritus S. actu gratis per fidem in Christum regeneratos & justificatos renovare incipit ad paritatem Christi. Ex quo sequitur, terminos poenitentiaz esse peccata & obsequium Christi, vera fide apprehendendum. Habent autem termini illi in S. Scriptura varia nomina: terminus enim à Quo dicitur *vetus homo*, ut modo ostensum: *via hominis*, *via pessima*, Ier. 36. v. 3. Ezech. 33. v. 11. *simulachra*, 1. Thess. 1. v. 9. *nequitia*, Act. 3. v. 26. *malitia*, Ier. 4. v. 14. *dij vani*, Act. 14. v. 15. *tenebra*, *potes& Satanae*, Act. 26. v. 18. Terminus ad Quem dicitur *novus homo*; *Dominus Deus*, Luc. 1. v. 16. Act. 11. v. 21. Ier. 4. v. 1. *Lux*, Act. 26. v. 18.

VIII. SVBIECTVM Poenitentiaz est *omnis omnino homo*, tam ratione facultatis, quam debiti. FACULTATEM seu POTENTIAM respicendi quod attinet, sciendum, ad Poenitentiam requiri varius actus, I. est *auditus verbi divini externus*; sic Agrippas audivit Paulum loquentem, Act. 26. v. 28. turbas intendeantur his, quæ à Philippo dicebantur, Act. 8. v. 6. *Eunuchus Candace Regna Aethiopum legebat Esaiam Prophetam*, Act. 8. v. 28. Et hunc actum habent etiam *hypocrite* & *impii*. II. est *assensus historicus*, quo quis *rem gestam*, ut narrata est, sine actuali & contumaci contradicendi libidine, *factam esse credit* & *assentitur*, quem assensum Paulus etiam de Agrippa prædicat, Act. 26. v. 27. Et hunc actum similiter in *impiis* reperire licet; nam & *damones credunt*, Iac. 2. v. 19. III. actus est *apprehensio* & *applicatio*, quæ homo ea, quæ historicè audivit in usum suum applicat, atq; ex ijs tum peccata sua agnoscit, cum ijsdem remedium petit, de quo suprà. Priores duo acti sunt

de Pœnitentia.

III

sunt in hominis etiam nondum renari viribus: posterior verò
solius Dei opus est, de quo prelixiūs in loco de libero arbitrio.
Ratione D E B I T I verò subiectum Pœnitentiæ esse universos
homines probatur I. dictis, quæ omnibus hominibus veram
Pœnitentiam præcipiunt, Luc. 24. v. 47. Actor. 17. v. 30.
I. à necessitate finis Pœnitentiæ, qui est remissio peccato-
rum, tali argumento: *Cuicunque necessaria est remissio peccato-
rum, eidem quoque necessaria est Pœnitentia;* ratio: quia uti
Deus gratiam suam omnibus quidem offert, sed non omnibus
absolutè, sine omni respectu fidei applicat; ita omnibus qui-
dem peccata sua remittere promptissimus est, sed non nisi
illis, qui peccata sua ex lege agnoscent, de ijs dolent, & fide
in Christum ex Evangelio fæse erigunt, Ier. 3. v. 13. Esa. 7. 9.
Apoc. 20. v. 6. At remissio peccatorum omnibus hominibus est
necessaria. 1. quia nemo peccato infectus vita æternæ parti-
ceps fieri potest, Psal. 15. v. 1. 2. Matth. 3. v. 10. 2. quia
omnes homines peccato inquinati sunt tam originali, quam
actualibus, 1. Reg. 8. v. 46. Eccles. 7. v. 21. Iob. 15. v. 14. 15. 16.
Psalms. 143. v. 2. Rom. 3. v. 23. Prov. 20. v. 9. 1. Iohann. 1. v. ult.
Exod. 34. v. 7. Bellarminus pro negatione universalitatib[us] huius
subiecti objicit lib. I. de Pœnit. c. 19. 1. Orationem Manassis,
v. 8. Pœnitentiam non posuisti iustis, Abramino, Isaaco & Iacobo,
qui in te non peccarunt. Resp. 1. locus non est Canonicus.
2. sermo hic est de atrocibus & notoriis delictis. 3. de Pœni-
tentia solenni. II. Luc. 15. v. 7. iusti non indigent Pœnitentiæ.
Resp. Iusti hic dicuntur non illi, qui gratis per fidem in Chri-
stum fuerunt justificati; hi enim quia quotidie ex infirmitate
peccant, opus habent pœnitentia; Sed iusticiarii hypocrita, qui
ibi iusti videntur, & Pœnitentiæ indigere non putant. Hinc
Canon Theologorum: *In scriptura sacra sapere res describiuntur
ut appareat, non ut est in se revera, in sua natura & substantia. Sic
iusti hoc loco vocantur, non quia Pharisai hoc erant, sed quia se
hoc esse arbitrabantur.* ait Augustinus sup. Ps. 6. 1.

I X. FINIS & EFFECTVS Pœnitentiæ est I. remissio
peccatorum, quod probatur I. ijs dictis, in quibus remissio
peccatorum vel toti Pœnitentiæ, vel eiusdem paribus adscri-
bitur, Psal. 32. v. 5. Ier. 36. v. 3. 2. ijs dictis, in quibus Pœni-

12 Disputatio Theologica,

rentia & remissio peccatorum semper coniunguntur, Luc. 24.
v. 47. II. Dei dilectio, quæ colligitur à minori ad maius è
Luc. 15. v. 7. Si angeli latantur de conversione hominis, multò
magis gaudebit Deus, qui salutem nostram ardenter sit. Io-
han. 14. v. 23. III. Spiritus S. inhabitatio; ut enim Spiritus
Sanctus per scelera è cordibus hominum ejicitur & profligatur,
1. Cor. 6. v. 15. ita per Pœnitentiam revocatur, Esa. 57.
v. 15. IV. Precum exauditio; ut enim peccata & iniquitates
nostræ remorantur Deum, quod minus petitionem nostram ex-
audiat, Eze. 59. v. 2. ita & contritū ac humiliatū cor Deus non despi-
cit, Psal. 51. v. 19. Matth. 21. v. 21. I. Ioh. 3. v. 21. 22. V. A
pœnis temporalibus liberatio, vel certè earundem mitigatio &
dilatio, quod ipse Iehova testatus est verbis & factis Ier. 18. v. 7. 8.
2. Paral. 12. v. 7. 12. VI. Aeterna vita donatio, Act. 11. v. 18.
Hi sunt fines & fructus Pœnitentia, quorum alij ad credentes
tantum spectant, ut quorum ratione alterius tantum partis,
Fidei scil. participes fiunt, sine qua impossibile est placere Deo,
Heb. 11. v. 6. Rom. 14. v. 25. unde sçpē quod partis est, per
synecdochē toti tribuitur: alij etiam ad hypocritas, & altera
parte, Fide nimirum fructus Pœnitentia apprehendente de-
stitutos pertinent, cum Deus etiam externam contritionem,
& eiusdem indicia, in temporalibus remunerare velit, cuius
multa in sacris extant exempla eorum, quibus Deus ob exten-
num dolorem temporalibus pœnis pepercit, ut ipse de Achabo
loquitur, 1. Reg. 21. v. 29.

X. Et hæc de causis Pœnitentia; sequuntur divisiones quædam, quarum I. est ratione OBJECTI, petita è Tertuliano, qui Pœnitentiam dicit aliam esse in bonis, aliam malorum: Ethnicos enim etiam in bonis factis adhibere Pœnitentiam, cū in ingratum quid benefecerunt. At hæc 1. ostendit, qualis sit, non qualis esse debeat. 2. petita est ex Objectu vocabuli, de quo suprà. II. Ratione SUBJECTI alia est Ethni-
corum, qui vel virtutis amore, vel formidine pœna solo ratio-
nis fusalu, externa scelera deserunt, vitamque in externis
actionibus corrigunt: alia Christianorum, qui vel à Deo, vel
à ministris eius moniti resipiscunt. Illam vocant rudem seu
informem, hanc fo. matam. III. Ratione FINIS, alia est vera
G. ſc.

& salutaris, quæ consistit in agnitione peccatorum iræq; di-
vinæ ex lege serio dolore, & firma fide in Christum: alia fal-
sa & extialis, quæ sit facta & desperato animo, nec fructuum
& commodorum serax est. Et hæc est vel *hypocritica* & *simula-*
ria, consistens tantum in *externis actionibus* ad legem Dei ali-
quantum compositis, quibus hominum oculos decipiunt;
sicut Achab se dedit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suā,
ieinunavit, dormivit in sacco, & ambulavit demissō capite, 1. Reg.
21. v. 27. cum tamen hypocrita fuerit; & sicut Christus dicit
de Pharisæis, *quod omnia præstiterint tantum hoc fine*, ut vide-
antur ab hominibus, Matth. 6. v. 5. Vel dimidiata ac murisa, quæ
altera & quidem principaliori Pœnitentiæ parte, *Fide* scil.
caret, qualis fuit illa Caini, Gen. 4. v. 13. Iude, Matth. 27. v. 40.
Et hanc divisionem Paulus subinnuere videtur, 2. Cor. 7.
v. 10. *Qua secundum Deum, inquiens, tristitia est, pœnitentiam*
in salutem, cuius neminem pœnitiat, operatur: seculi autem tristi-
tia mortem operatur. IV. Distinguunt alij in Legalem &
Evangelicam. Legalem dicunt, *qua* peccator peccati cauterio
vulneratus, & terrore iræ Dei attritus, *in ea perturbatione con-*
strictus hæret, nec se explicare potest. Evangelicam autem, *qua*
peccator quidem graviter apud se afflitus, altius tamen emergit,
& Christum vulneris sui medicinam, terroris consolationem,
miseria portum apprehendit. At cum in vera pœnitentia Lex &
Evangelium, ratione ordinis concurrent, rejicitur hæc distinc-
tio, & licet possit esse pœnitentia *ex sola lege*, illa tamen sa-
lutaris non est, sed ea solum, quæ ex Evangelio est, & Le-
gem presupponit.

X I. V. Divisio est TOTIVS IN PARTES, in *Contri-*
tionem scil. & Fidem. Contritio est serius cordis dolor ex agni-
tione peccatorum, & sensu ira Dei adversus illa ortus. Fides est
non tantum noticia in mente, & indubius assensus historicus in
intellectu, sed & in voluntate filialis fiducia, quæ homo in Christo,
petra salutis unicè recumbit, certo statuens, propter illum sibi re-
missa esse peccata. seq; apud Deum esse in gratia, esse filius Dei,
& hæredem aeternæ vita. Hæ duas partes sacram illud & salu-
tiferum totum Pœnitentiæ constituant, cum conversionis hic
ordo perpetuò conspiciatur, quod per legem peccatum & ira

Dei agnoscitur, Rom. 3. v. 20. cap. 7. v. 17. ex qua agnitione oritur humiliatio & contritio cordis, qua homo sese & contaminatam suam carnem odiſſe, iramque Dei metuere incipit: ne autem agnition hæc & contritio desparationis fiat causa, accedit Evangelium, quod gratiam Dei, meritum Christi, & auxilium Spiritus Sancti, ceu scipionem suggestit, quo se cor contritum & humiliatum suffulcire atque erigere potest. Et hanc διχοτομίαν probant I. dicta Scripturæ, quæ duas has partes conjungunt, Marc. 1. v. 15. respicite & credite Evangelio. Act. 20. v. 21. in quibus vocabulo Pœnitentia propter adiunctam fidem, ut supra ostensum, altera tantum pars, scil. contritio intelligitur. II. Variæ parabolæ, similitudines & typi; Luc. 10. v. 34. de oleo & vino. Lev. 4. v. 7. mandaverat Deus populo Israel, ut enormes peccatores singuli pro peccatis suis afferrent Domino sacrificium, taurum, cuius matati sanguinem sacerdos aſſerget contra velum sanctuarii, & super cornu altaris thymiaatis: qua ceremoniâ prefigurata Pœnitentia, à libentibus enim, peccata confitentibus, dolentibus & credentibus in sanguinem Christi, nos ab omni peccato mundantem, i. Ioh. 1. v. 7. offerendum illud fuit. III. Natura legis & Evangelij, quæ sunt præcipua doctrinæ Christianæ capita, quorum quodlibet peculiarem ac proprium suum in homine convertendo effectum obtinet; lex enim incutit dolorem, dum peccati atrocitatem, & iram Dei adversus illud manifestat, & hominem propter transgressionem accusat. Evangelium vero homini territo & contrito proponit mediatorum Christum in ara crucis pro peccatis nostris mortuum. Hæ duæ partes necessariæ (non quidem ratione Dei, sed ordinis) ad Pœnitentiam requiruntur, & neutra sine altera effectum hunc salutarem obtinere potest: Contritio enim sine fide exutilis est, & ad orcum dicit, secundum illud: quicquid ex fide non est, peccatum est, Rom. 14. v. 25. & sine fide impossibile est placere Deo. Heb. 11. v. 6. nec fides est sine contritione; ubi enim non est agnition peccati aut contritio cordis, ibi nec fides aut levamen tanti onoris, cum qui onus non sentit nec levari eo cupiat: & qui xgrum se esse non agnoscit, is nec in medicinam desideret, quod & Propheta testatur, Esa. 26. v. 16.

Domine,

de Pœnitentia.

137

Dómine, in angustiā requisiſerunt te, meditatio, quando eos caſſia-
gas. cap. 28. v. 19. vexatio dat intellectum. IV. Natura conver-
ſionis, quæ conſtituit inter duos terminos, à Quo & ad Quem.
Pœnitentia est Conversio. Ergo Terminus à Quo est vita
anteacta, ſive peccatum, de quo dolendum; ad Quem est
Christus, ſive Deus, qui fide apprehendendus, 1. Thes. 1. v. 9.
ut ſuprā probatum. V. Praxis & exempla Sanctorum: Da-
vidis, 2. Sam. 24. v. 14. Publicani, Luc. 18. v. 13. Deus, propitiatus
eſto (en fidem in gratuitam Dei misericordiam) mihi pecca-
tori (en contritionem) Latronis, Luc. 23. v. 42. VI. Testimo-
nia aliorum: Brentius in cap. 4. Matth. v. 17. Magdalena egit
Pœnitentiam. Quid ergo egit? Venit ad Christum in domum
Pharisei, & abiecta ad pedes Christi, lachrymata eſt, & unxit
pedes eius unguento. Itaq; lachrymis testata eſt, ſe agnoscere & te-
ſtari peccatum ſuum: uincione pedum Christi testata eſt, ſe cre-
dere & querere in ſolo Christo remiſſionem peccati ſui. Iustinus
in qq. & resp. ad orthod. qu. 37. pag. 322. Per Pœnitentiam &
Fidem Christi recipitur commiſſorum peccatorum remiſſio. Et
hoc idem afferunt Orthodoxi omnes.

X I. I. Licet autem Contrito & Fides interni ſine
motu ſolimq; Dei ſubiacant indicio, qui ſcrutatur corda & re-
nes, Ier. 11. v. 20. cap. 17. v. 10. habent tamen etiam homines
ſua indicia, ex quibus interna & ſtimare poſſunt; quia autem
adhuc externa illa veritatem ſuam habent ab internis, quate-
nus inter ſe congruunt, ideo contingit, ut homo in judicio
ſuo ſequi deſcipiat, veraque ſigna ducat, quaꝝ ſunt simulata
& hypocritica. Et CONTRITIO quidem in V. T. varijs ſignis
fuit declarata, tum à pijs, tum ab impijs, quorum potiora
vidēbimus. I. eſt IEIVNIVM, cuius finis duplex eſt, 1. ut ar-
dentior ad preces eſſet devotio; ubi enim ebrietas & crapula aut
abundantior ſagina, ibi veheſtior ſegnities. 2. ut contri-
tio cordis tanto magis declaretur, atq; ſic cor humiliatq; donis diu-
nis ob peccata dignum ſe non aſſimet. Sic jeiunārunt Israelita à
Philisthais viſti, 1. Sam. 7. v. 6. Ninivita, Ion. 3. v. 7. David,
2. Sam. 12. v. 16. Iosaphat, 2. Paral. 20. v. 3. Daniel, c. 9. v. 3.
II. LACHRYMÆ, quæ grave peccatorum onus in corde ſenti-
ti teſtantur, ut enim uva preſſa liquorem reddit, ita cor mo-
le pec-

le peccatorum pressum lachrymas. Sic lachrymati sunt David, Psal. 6. v. 7. Psal. 69. v. 11. Petrus, Matth. 26. v. 75. Peccatrix, Luc. 7. v. 38. Sic Lachrymas mandat Iocel cap. 2. v. 12.

III. PECTORIS PERCVSSIO, qua denotatur 1. excutandum esse cor ad seriam agnitionem peccatorum, 2. cordi, ex quo producent prava cogitationes & incitationes, Matth. 15. v. 19. resistentium esse; sic pectus suum percussit Publicanus, Luc. 18. 13. & Centurio cum aliis, videns mirandum crucifixionis Christi finem, Luc. 23. v. 48. Et hic ritus usitatus fuit etiam apud Ethnicos, sicut Virg. 1. Aeneid. v. 483. refert:

Interea ad templum non aqua Palladis ibant,

Crinisbus Iliades passis, pepatumq. ferabant,

Suppliciter tristes, & iunsa pectora palmis.

Sicut & nos in gravioribus terroribus & afflictionibus pectora solemus tundere. I. V. FEMORIS PERCVSSIO, quam Luth. ait esse signum doloris, sicut muliercula in puerperio facere solent. Sic femur percussit Ieremias c. 31. v. 19. V. HUMICVBATIO, quæ est signum gravissimi interni ob peccata, sensumque iræ divinæ terroris. Sic in terra jacuerunt David, 2. Sam. 12. v. 16. Israelitæ per triduum, 2. Macc. 13. v. 12. VI. CINERIS super caput inspersio. Ita cinere se se inspersit Nenivitarum Rex, Ion. 3. v. 6. VII. SACCI, id est, sordidorum & viliorum vestimentorum usus, quibus tum internam suam sordetatem testari, tum humili eiusmodi habitu misericordiam & gratiam Dei tanto commodius impetrare voluerunt. Ita facos induerunt Nenivite, Ion. c. 3. v. 6. Ezechias, Eliæ c. 37. v. 1. VIII. SCISSIO vestimentorum, quæ internam cordium scissionem denotabat, ut innuere videtur Iocel. cap. 2. v. 13. Ita vestimenta sua sciderunt Israelitæ, 1. Macc. 3. v. 47. IX. AQUÆ EFFUSIO, quæ extremam humilitatem & sui detestationem significabat, quod contritus se coram Deo tanquam rem inutilem estimet: aqua enim, quæ nulli usui commoda videtur, effundi solet. Ita Israelitæ coram Domino aquas effusisse legendunt, 1. Sam. 7. v. 6. Hæc sunt potiora in Vet. Test. occurrentia contritionis *negligencia*, quæ internam quidem Contritionem arguunt, non tamen ita necessario & infallibiliter, ut ex illis certò judicare licet, sed sunt alia pia & vera, alia simulata.

lata & hypocrita, ut videre est in Achabo, qui & ipse uestes scindebat, saccum in duebat, se iunabat & miserabiliter incedebat, 1. Reg. 21. v. 27. non tamen salutariter & ad voluntatem & beneplacitum Dei est contritus.

X III. Ad Contritionem refertur CONFESSIO, quæ antequam explicetur, ab ομωνυμίᾳ sua prius liberanda est. Sumitur enim vox Confessionis I. pro fidei doctrina, Heb. 3. v. 1. cap. 4. v. 14. II. significat de re aliqua simplicem certam & intrepidam assertionem, Matth. 10. v. 32. Rom. 10. v. 10. III. sumitur pro laudatione, celebratione, & gratiarum actione, Gen. 29. v. 35. Psal. 7. v. 18. Ps. 9. v. 2. Ps. 33. v. 2. Psal. 35. v. 18. Psal. 42. v. 6. 12. Ps. 43. v. 4. 5. Ps. 49. v. 19. Ps. 52. v. 11. Ps. 67. v. 4. 6. Ps. 71. v. 22. Ps. 86. v. 12. Ps. 89. v. 6. Ps. 92. v. 2. Ps. 100. v. 4. Ps. 106. v. 47. Esa. 12. v. 1. 4. cap. 25. v. 1. Dan. 3. v. 89. Luc. 2. v. 38. c. 10. v. 21. Matth. 11. v. 25. & in multis alijs locis. IV. Pro commissorum peccatorum manifestatione, qua delicti sui conscius quispiam ipse crimen suum accusat, & se suapte Confessione reum peragit, quæ significatio huius est loci & propositi. Hæc Confessio est duplex: Politica & Ecclesiastica. POLITICA seu fraterna dicitur, qua is, qui alium vel iniuria vel scandalo offendit, poenitentia ductus, se peccasse fateretur coram fratre suo, sibi, ignosci cupit, sicut fratres Iosephi, delictum suum confitentur, Gen. 50. v. 17. Simei, 2. Sam. 19. v. 19. ECCLESIASTICA est, qua fit Deo & ministro Ecclesie, quando peccata nostra agnoscimus, libere confitemur, ac dolemus, nos Deum multipliciter offendisse, veniamq; propter Christum petimus. Hæc posterior est duplex: Publica & privata. PUBLICA est, quatuor cœtus in nomine Dei congregatus, ministro voce sua præante, delicta sua Domino confitetur, eorumq; veniam petunt. Quæ & ipsa duplex, ordinaria, quæ fit & peragitur singulis diebus Dominicis, sive in singulis conventibus Lev. 16. v. 21. ut & in celebratione Cœna Dominicæ publica: & extraordinaria, quæ fit certis Ecclesiam Dei calamitatibus urgentibus. Sicut populus Israel bello virtus peccata sua agnoscit, 1. Sam. 7. v. 6. item Nehem. 9. v. 2. Iudic. 10. v. 10. PRIVATA est, quæ singuli peccata sua, Deo, Ministro, vel curvis proximo confitentur. Ita David sape in Psalmis delicta sua Do-

18 Disputatio Theologica,

mino confitetur , Psal. 32. v. 5. Psal. 51. v. 5. 6. coram Nathan,
 2. Sam. 12. v. 13. populus Iohanni confitebatur peccata sua,
 Matth. 3. v. 6. Est præterea Ecclesiastica illa vel generalis, qua
 quis in genere se peccasse confitetur infinitis modis , species
 tamen omnes & singulas recensere non cogitat: vel *specialis*
 omnium & singulorum in specie delictorum. Inter has va-
 rias Confessiones recipit Orthodoxa Christi Ecclesia *Confe-*
sionem Ecclesiasticam generalem publicam & privatam : (ad-
 mittens interim etiam *specialem* quorundam peccatorum *Confe-*
sionem, non tamen *omnium*; nec etiam *cagatum*, sed *libe-*
ram & spontaneam, qua sit vel *confitentis gratia*, ut *consolatio-*
nem accipiat, vel proximi emendandi causa) I. ob mandatum
 divinum, Num. 5. v. 6. 7. II. ob *militatem*, sive *promissiones*
 divinas, Prov. 28. v. 13. 1. Ioh. 1. v. 9. Psal. 32. v. 5. III. Ob *ne-*
cessitatem atque illius omissionis periculum. Ut enim spes recu-
 perandæ sanitatis agroto illi nulla relinquitur, qui *gravita-*
tem morbi sui agnoscere confiterive nequit, sed subinde res-
 suas bellè se habere animum inducit suum: ita qui
 spirituali morbo infecti peccatum confiteri recusant, spem
 remissionis nullam habent reliquam, sed metuendum, ne vi-
 rus illud totum hominem pervadat, & ad necem usque spi-
 ritualem tractet, ut David de se testatur Psal. 32. v. 3. IV. ob
 exempla vere pœnitentium, qui uti salutari suo exemplo præ-
 iverunt, ita nos imitari omnino decet, ut *David*, Psalm. 51.
 v. 6. Psalm. 41. v. 5. *Paulus*, 1. Tim. 1. v. 14. 15. Non parum
 autem approbanda est *privata generalis* coram ministro con-
 fessio 1. propter *specialem absolutionem & contritarum con-*
scientiarum consolationem. Consolatione quidem non caret,
 quando homo contritus, de peccatis suis dolens, fideque in
 Christum se erigens cum omnibus aliis verè pœnitentibus
 remissionem peccatorum in genere annunciarci audit: at multo
 maiori abundat solatio vox à ministro Ecclesiæ cuiusvis pœni-
 tenti in specie & in individuo applicata. Sicut David ex S. lite-
 ris ignotum non erat, Deum omni credenti peccata sua re-
 missurum; at multo firmius se erexit verbis illis Prophetæ,
 1. Sam. 12. v. 13. Dominus transfiguravit peccatum Tuum. 2. pro-
 pter crudiorum institutionem, datur enim ibi occasio juniorum
 salu-



salutares in fundamento religionis profectus tentandi , eosdemque tenues & jejunos augendi. Vnde Luth. tom. 6. Ien. fol. 109. inquit , malle se mille mundos amittere , quam ut minima particula confessionis privata ex Ecclesiis eliminetur . permittere , esse enim Christianorum primam , utilissimam & maxime necessariam Scholam . 3. propter explorationem , an quis digne ad SS. cœnam accedat Cum enim tum ministri , tum communicantis non parum intersit , ut sacerdos Christi panis & sanguis debite & dignè accipiatur ; huius quidem , ne indigna mandatione & bibitione mortem sibi sumat , secundum illud Pauli , 1. Cor. 11. v. 29. illius verò , ne alterius peccati particeps fiat , Matth. 7. v. 6. piè & laudabiliter mos Confessionis generalis coram ministro Ecclesiæ ordinario introducetus est , ut tum zelus & devotio cœnam petentis dignosci , tum 4. corda ad cœnam debite præparari possint .

XIV. Ut autem Contritio sua habet *rectitudinem* , ex quibus dignosci potest , ut supra th. 12. ostensum : ita & Fidei *SIGNA* sunt bona opera , fructus poenitentiæ digni , nova obedientia , quæ è corde verè poenitenti enascuntur , & quidem ex altera tantum parte , Fide scil. Lex enim , à qua producitur Contritio , monstrat quidem modum & normam bonorum operum , ad quam tota nostra vita componenda sit ; interim tamen nec idoneū facit hominem ad bene operandū , nec ipsa bona opera efficit , sed tantum iram operatur , Rom. 4. v. 15. id est , monstrato rigore suo , implendique imperfectione nihil efficit , nisi ut homo de desperatione potius , quam de studio bonorum operum cogitet . Evangelium autem accedit , quod fidem gignit , terrores illos mitigat . modumq; implenda legis monstrat , qui non est ex nostris operibus , sed ex solo merito Christi cuius obedientia nobis imputatur , proq; nostra impletione acceptatur ; idque meritum fide ab hominibus apprehensum opera ipsorum nobilitat , ut licet ad legem , eiusque rigorem omnimode perfectè composita non sint , pro perfectu tamen habentur . Vnde etsi nostris operibus nil quicquam nobis comparare queamus , nec ipsa rigori legis respondere possit , ipsorum tamen observatio non negligenda , sed quam acutissimè notanda , ut , quantum fieri potest , ad impletionem legis

20 Disputatio Theologica ,

contendamus , bonisq; operibus studeamus , I. Ob severissimum mandatum Dei , qui cum videat , totam humanam naturam ex lapsu adeò corruptam esse , ut omne figmentum cogitationum cordis eius tantummodo malum sit omnibus diebus , Gen. 6. vers. 5. cap. 8. vers. 21. non sit sufficiens cogitare aliquid à se quasi ex se ; 2. Cor. 3. v. 5. iam inde ab exordio statim miseria humanæ hortatus est homines , ut sanctitati vita operam dēt , Gen. 17. v. 1. Es. 1. v. 16. Matth. 3. v. 8. cui mandato Dei morem gerere oportet omnes . II. Ad declarandum hominibus cor nostrū pœnitens . Deus quidem , qui scrutatur cor & probat renes , Ier. cap. 11. v. 20. cap. 17. v. 10. Apoc. 2. v. 23. non indiget medijs eiusmodi quibus ipsi pœnitentia declaretur , cum omnia etiam occultissima præsentissimè intueatur : homines vero , qui iudicant tantum de eo , quod sensibus comprehendunt , de corde verè pœnitente iudicare non possunt , nisi ex operibus , cuius gratia novitati vitæ studendum , ut hominibus Pœnitentiam nostram comprobemus . Matth. 5. v. 16. III. Ad contestādam gratiarum actionem erga Deum , secundum illud Matth. 5. v. 16. Deus enim lenis est & misericors , ut etiam insufficientiam nostram reiicere nolit , sed , cum videt , nos , quantum in infirmis nostris est viribus præstare , id sibi gratum habet . Et ita ob plurimas alias causas , de quibus in loco de bonis operibus . Usurpantur autem sæpiissimè bona opera pro ipsa Pœnitentiā , scil. effectus pro sua causa , 1. quia effectus nobis sunt notiores suā causā . 2. ut ad bona opera contendentes , insufficientiam nostram agnoscamus ; quicunque enim nondum conversus bonis operibus studere cupit , corde nondum contrito , vel nondum credenti , is frustaneum se sumere laborem deprehendit ; non enim sufficientes sumus cogitare aliquid ex nobis . 2. Cor. 3. v. 5. 3. ut effectus appetentes etiam causæ anhelemus , sine qua nullus datur .

XV. Sequuntur tandem ADIVNCTA , quorum primū est Locus , ubi porrigitur , aut acceptetur Pœnitentia , qui nō est definitus ac determinatus ad certum aliquem terminum ; Non enim , sicut Deus in V. T. populo Israel mandaverat , *ut tribus vicibus , in singulos annos coram Domino omne masculum appareret in definito aliquo loco , Exod. 23. v. 14. 17. cap. 34. v. 23.* ita



ita & certum quandam locum destinavit, ubi remissionem peccatorum & resipiscentiam ab ipso consequi quilibet necessè haberet: sed ut *ubique terrarum præsens est*, quod testatur Ier. 23. v. 23. 24. Esa. 66. v. 1. ita etiam *ubique terrarū donum & gratiam resipiscentia largiri potest & vult*, quod probant I. dicta Scripturæ; Act. 10. v. 34. dicit Paulus: *in veritate compri quantam non est personarum acceptor Deus, sed in OMNI gente, qui timet Deum, & operatur iustitiam, acceptus est illi.* Marc. 16. v. 15. II. Analogia Fidei. Suprà probatum est, salvum fieri neminem posse, nisi qui de peccatis suis doleat, eademque sibi propter meritum Christi sufficientissimum remitti credat: jam autem Deus *ubiq. locorum gratia sua salvare paratus est.* III. Exempla. Paulus conversus est in *Vico*, qui dicitur *rectus*, Act. 9. v. 11. Æthiops Eunuchus Præfectus Candaces reginæ Æthiopum *in via*, quæ erat *deserta*, Act. 8. v. 26. latro in *cruce*, Luc. 23. v. 42. Ita conversi sunt *Romani, Corinthii, Ephesii & infiniti alii*, quisque *intra suos fines*, ita ut verbum Evangelij *pervenerit in universum mundum, fructificaverit, & creverit*, Col. 1. v. 6.

XVI. Secundum adjunctum est TEMPUS, quo Pœnitentia est agenda. Ut autem *locus* definitus non datur, in quo & non in alio Deus Pœnitentiam consequendam demandarit: ita certum quoq; eidem *Tempus* non destinavit, sed *omni tempore & omni momento* Pœnitentia est agenda, cuius causæ sunt I. universalitas naturæ humanæ corruptæ, quæ facit, ut certum tempus definiri non possit, quo exploranda sint peccata hominum, qui & quot peccato sint inferiti, sed omnes in universum peccato contaminati sunt. Vnde sic argumentamur: *Tunc agenda est Pœnitentia, quando peccatur, sed omnis homo quotidie & semper peccat*, Gen. 6. v. 5. c. 8. v. 21. Ergo semper agenda est Pœnitentia. II. Vitæ nostræ fragilitas & fugacitas, moriendique necessitas. Vnde ita: *Tunc agenda est Pœnitentia, quando ad mortem accingendis sumus. Sed omnis momentis hoc fieri debet, quia mori cogimur omnes*, Ps. 39. v. 6. Gen. 3. v. 19. Ps. 89. v. 49. 1. Cor. 15. v. 22. Hebr. 9. v. 27. III. Hora mortis incognita. Hunc in modum: *Cuiunque hora mortis sua est incognita, illi omni tempore agenda est Pœnitentia.*

tentia. At qui omnium hominibus hora est incognita. Ergo. Con-
sequentia probatur, quia per Pœnitentiam preparamus nos ad
mortem; at qui ad id, quod nos latet, certum tamen est, sub-
inde nos paramus. Minorem probant 1. dicta Scriptura,
Eccles. 9. v. 12. Matth. 24. v. 42. 44. 2. Parabola, Matth. 24.
v. 45. de servis fidelis, &c. 3. Exempla, Abneri, 2. Sam. 3. v. 27.
Ishoserb, 2. Sam. 4. vers. 6. Amnon, 1. Sam. 14. v. 29. filii vidua,
2. Reg. 4. v. 20. & multorum aliorum. IV. Extremi iudicij
mortem secuturi severitas, post mortem enim nulla dabitur
Pœnitentia, sed extremitum iudicium omnes à fine suo judi-
cabit, qui in peccatis finem vitæ sine omni Pœnitentia fece-
runt, iij procul dubio in æternum peribunt, qui vero debito
cum dolore, firmaq; Fide in Christum ex his terris abierunt,
iij certissimè sanctorum Angelorum coelestem Paradisum in-
habitantium socij & consortes erunt. Vnde æternæ damna-
tionis horribilitas, vitaquæ beatae iucunditas ad aliudam
Pœnitentiam, & cautam preparationem alicere nos meri-
tò debet. V. In extremo vita termino pœnitentiam agen-
tium raritas. Multi quidem sunt, qui diebus vita suę prolu-
bitu uti, genioque, quod vocat, indulgere periculum non
ducunt, & Pœnitentiam in agone arripere præsumunt: ve-
*rùm hi prater *unicum* illud latronis à Spiritu Sancto nota-*
tum Exemplum non monstrabunt, innuente, paucos & pa-
cissimos esse quospari modo Deus fecit. Et licet misericors sit Deus,
ut omnium misereri cupiat, in pertinaces tamen etiam iustus
& aequus est ultor, secundum illud Syr. 5. v. 6. Non ergo diffe-
renda deprecatio ad Dominum, ut peccata remittat & non diffe-
renda iustificatio usque ad mortem, Syrac. 18. v. 22. Accedunt
VI. hortationes Patrum; Hieron, in cap. 10. Matth. Ne se-
mel putemus ardorem fidei sufficere semper crux portanda est, ut
semper Christum amare doceamus. Idem Epist. 45. quia semper
peccamus, semper pœnitentiam agere & respiscere debemus. Gre-
gor. in lib. 2. Reg. cap. 2. quia quotidie delinquimus quotidie ad
pœnitentia lamenta curramus. Ab hac nostra universalia assertio-
ne dissentit Bellarminus, lib. 2. de Pœnit. cap. 9. dicens: *Præ-*
ceptum de Pœnitentia cum sit affirmativum, non obligat quovis
tempore, sed solum certis temporibus, ut cum versamur in perecu-
to

la vita; cum accedendum est ad Confessionem; cum Deus peculia-
ri inspiratione nos ad Pœnitentiam invitat. Resp. 1. Contra-
rium hactenus probatum est. 2. non semper cognitum est
homini periculum vita. 3. distinguendum est inter pœni-
tentiam renatorum quotidiana, & inter solemnum seu spe-
ciale.

XVII. Errant hic I. NOVATIANI, qui post Baptismum
in peccata prolapsis Pœnitentiam ac remissionem peccatorum in
ministerio reliquam denegant; ut refert Eusebius lib. 6. cap. 43.
Cypr. lib. 11. epist. 1. ad Cornelium pag. 2. August. lib. de hæ-
res. ad Quod vult Deum hæres. 38.. Et alij. Sicut eundem
Errorem statuit Cicero in Academicis quæstionibus lib. 3. ut
refert Lactantius quæst. 31. qui asserit, eos, qui semel à via in-
justitia, & virtutis aberrassent, nunquam pœnitendo corrigeret erro-
rem posse, neque modum esse sive à naturâ, sive ab ipso nature av-
tore institutum, quo male ante aucta vita resarciri temeritas
queat. Quæ quidem hæresis in Concilio Romano celeberrimo
iamburgum damnata est, cuius contrarium etiam nos te-
nemus firmissimè. I. Si nulla post Baptismum lapsis Pœni-
tentia est reliqua, tunc Deus fruſtrâ ubique per Prophetas &
Apostolos mandavit Pœnitentiam, Ier. 3. v. 12. Matth. 3. v. 2.
Acto. 17. A. 30. At hoc de Deo dicere blasphemum est. Ergo
nec illud. II. Quicunque se conversione peccatoris delecta-
ri testatur, pœnitentibusque remissionem peccatorum pro-
mittit, ille eo ipso peccatoribus pœnitentiam reliquam esse
docet. At prius illud facit Deus, Ezech. 33. v. 11. Malach. 3.
v. 7. & Tim. 2. v. 4. 2. Pet. 3. v. 9. Matth. 18. v. 14. Ergo. III. Qui-
cunque negat lapsis pœnitentiam, ille negat misericordiam
Dei, quia misericordia Dei in hoc consistit, ut recipiat lapsum
in gratiam; misericordia enim obiectum est miser, non be-
atus; non est opus medico valentibus sed male habentibus, Matth.
cap. 9. v. 12. At negare misericordiam Dei, est S. Scripturæ
contradicere, Psal. 103. v. 8. Ioh. 2. v. 13. Esa. 49. v. 15. c. 54.
v. 7. Ier. 31. v. 20. Os. 11. v. 8. Ergo & illud. IV. Si nulla post
Baptismum lapsis est residua Pœnitentia, iritum & fru-
straneum erit ministerium verbi; ideo enim Apostoli & comes
ministri mittuntur à Deo, ut lapsos per Pœnitentiam in viam

Salutis

24 Disputatio Theologica,

salutis reducant, Ier. 1. v. 10. Marc. 16. v. 15. Act. 9. v. 6. 1. Cor. 3. v. 5. jam verò si nulli lapsò locus concederetur ad Pœnitentiam, frustrà ipsa annūciaretur, sicut frustrà liberatio ostenderetur ei, qui se liberari nunquam posse sciret. Nec quicquā proficit exceptio quorundam Catharorum, qui ab alijs dissentientes peccata distinguunt in graviora, & leviora seu quotidiana; quorum illa nūquam remitti, hac vero ab Ecclesia ministro concedi posse statuunt: cum promissiones de remissione peccatorum, & invitationes ad Pœnitentiam sint universales, nec ullis vel *Quantitatis* vel *Qualitatis* circumstantijs, ob quas peccata remitti non possint, limitatae. V. Favent sententiæ nostræ Exempla plurium *enormium* peccatorum, qui nihilominus per Pœnitentiam remissionem peccatorum, non obstante ipsorum gravitate, consecuti sunt Aaron *Idolatra*, Exod. 32. Petrus *abnegans*, Matth. 26. David, *adulter*, 2. Sam. 12. Paulus *persecutor*, Actor. 9. 1. Tim. 1. Latro *scelestissimus*, Luc. 23. & plures alij, ut ita fores Pœnitentiæ omnibus pateant. Rationes afferunt adversarii, I. Heb. 6. v. 4. *Impossibile est*, eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœlestè, & participes facti sunt Spiritus S. &c. rursus renovari ad Pœnitentiam. Resp. Variant Interpretes in explicatione huius dicti, quidam enim intelligunt de Pœnitentia, quæ futura sit post hanc vitam: quidam de iteratione Baptismi: quidam verò de peccato in Spiritum S. quorum sententia commodissima, cum quæ hoc loco de dicti huius subiecto enunciantur prædicata, alibi de peccato in Spiritum S. enunciata legantur. 1. enim ipse Christus peccatum in Spiritum S. dicit esse irremissibile, Matth. 12. v. 31. Marc. 3. v. 29. quia 2. versatur circa verbum & veritatem Dei, h.e. articulos fidei cardinales & fundamentales; 3. circa doctrinam agitam. 4. plena mentis scientia. 5. non ex infirmitate vel metu aliquo, sed ex destinata malitia, & contra conscientiæ ac internum Spiritus S. testimonium. 6. animo INDVRATO. 7. cum reiectione omnium, à Deo, ad salutem ordinatorum mediorum; Quæ conditiones cum de huius dicti subiecto prædicentur, rectè inde infertur, subiectum esse peccatum in Spiritum Sanctum. II. Ioel. C. 2. v. 14. *Quis scit, an vertat se Deus & pœnitiat eum*, & relinquit

quat

quæ post se benedictionem. Et Ion. 3. v. 9. *Quis scit, si converratur, & pœniteat Deum, Act. 8. v. 22. roga Deum, si forte remittatur tibi hac cogitatio cordis tui.* In quibus locis Novatiani Scripturam dubitative loqui afferunt. Resp. 1. posito, non verò concesso, Scripturā de Pœnitentia dubitative loqui, male tamē inde, omnimoda Pœnitentia negatio inferretut, sed potius si non in universalī, tamen in particulari eiusdem positio sequeretur. 2. quod citata loca dubitative videntur dicere, id alia assertive & aperte enunciant. 3. duo sunt, quæ Deus remittit & aufert, culpa & pœna. ILLAM Deus omnibus verè pœnitentibus semper remittit, non quidem, ut non sit, sed ut non imputetur, ut de remissione eius non sit dubitandum: HÆC verò est duplex, aeterna & temporalis; ILLA itidem omnibus verè pœnitentibus indubitate remittitur: HÆC verò pœnitentibus aliquando imponitur & ad castigationem sui, & ad exemplum aliorum: ne enim accepta reconciliatione obliviscantur, quanta sit abominatio peccati, & quam magnitudo ira Dei adversus peccatum, atque ita lapsus suos extenuent & parvificiant, vel gratiam securitate nova & petulantia exultant, & tandem ad vomitum revertantur, idēc subjiciuntur post reconciliationem vel communib[us] calamitatibus, vel peculiari[bus] castigationibus paternis, ut hac commonefactione subinde magis accendatur & crescat in ipsis odium & detestatio peccati, fides sollicitè curans, timor Dei. 4. quæ ergo allegata loca dubitative videntur dicere, de remissione temporalium castigationum intelligenda sunt III. Heb. 12. v. 17. Esau non invenit locum pœnitentia. Resp. 1. non egit Esau verè pœnitentiam; nam postquam benedictione excidit, fratri Iacobo mortem est minatus. Deplorant autem impij (quod & Esau fecit) suam sortem, non quod scelerum ipsos pœniteat, aut quod doleant, Deum improbitate ipsorum offendit, sed pœnas reformatum, & interim nihilominus male agere pergit. Tales (& meritò quidem) veniam non consequuntur. 2. Pœnitentia vocula passive ibi accipitur, pro Pœnitentia Isaaci. Esau non invenit locum Pœnitentia, hoc est, non posuit lachrymis ac precibus parentis animum permovere, ut benedictionem Iacobo collatam revocaret. Quod si vel maximè de Esavi

pœnitentia locus accipiatur, tertum tamen est, eam non fuisse veram & salutarem: fuit Pœnitentia (ut ita loquar) amissi, non admissi. Quæ licet sententiæ alienæ non sint, posterior tamen contextui familiarior est: cum Esau dicatur *cum lachrymis pœnitentiam inquisivisse*, quando scil. cum ejulatu magno benedictionem à patre petijt, Gen. 27. v. 38. IV. Soli Deo peccatorum remittendorum potestas reservanda est. Resp. Distinguendum est inter potentiam authenticam & ministerialem. Prior soli Deo competit Marc. 2. v. 7. Posterior data est à Christo Apostolis & omnibus fidelibus ac sinceris Ecclesia Ministris, Matth. 16. v. 19. I. Cor. 4. v. 1. V. Deus constitueretur mutabilis, si his, quibus fuerit iratus, ignoscet. Resp. Deus ut in sua essentia, ita quoque in voluntate est immutabilis. Est autem voluntas Dei, avertere mala à pœnitentibus, qua ipsi locutus fuerat, Ier. 26. v. 3. 13. ut omnis, qui vider filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, Ioh. 6. v. 40. Hæc voluntas est perpetua & non mutatur, sed cum mutari videtur, in hominibus sit mutatio.

XVIII. Errant II. CALVINIANI, statuentes I. *Vocem Pœnitentia* huc non quadrare, potiusq; conversionis & respi-
scientia vocabulum substituendum esse; Ita enim Vrsinus Explic.
Catech. part. 3. quæst. 90. Pœnitentia dicitur vel à pœnit, vel
à pœna, quod dolor in pœnitentia sit quasi pœna: vel, ut Erasmus
putat, à ponere tenendo, quasi pœnitere sit posterius consilium tene-
re, seu intelligere post factum. Unde cunque sit, pœnitentia no-
men obscurius est nomine conversionis; nam Pœnitentia non com-
pletitur totum, terminum videlicet à Quo, & ad quem, sed tan-
tum significat dolorem post peccatum. Conversio autem totum
completitur, ut quæ addit mutationem, quam inchoatio in vera
fide sequitur. Deinde latius patet nomen Pœnitentia, quam Con-
versionis, nam Conversio tantum dicitur de piis, pœnitentia de sim-
plici eriam dicitur. Hæc Vrsinus. Ex quibus apparet, rejicere
Calvinianos Pœnitentia vocabulum in hoc negocio, utpote
latius, substituereque Conversionis vocem, utpote ad aquam.
Sed respondemus 1. frustra illos subtile esse, & nodum in
scripto quærere, cum de vocabus litigandum non sit, ubi de re
eiusque veritate constat. 2. falsa ipsos niti hypothesi, ac si
Conver-

-19311504

Conversio & Pœnitentia ad *solos pios*, non verò ad *impios* quoque extendenda sit; distinguimus enim inter Pœnitentiam *veram ac salutarem*, quæ pro tota sumitur, *Contritione & Fide constante*, estque in *solis pīs & fidelibus*, & inter falsam ac *infrugiferam*, quæ alterā tantum parte, *Contritione scil. constat*, & non tam in *pios*, quām in *impīos*: Cainum, Iudam, &c. cādit.

3. falsum esse Pœnitentiam non complecti *totum*, terminum videlic. à Quo & ad Quem, cum suprà thes. 3. ostensum sit, vocabulum Pœnitentia sumi vel pro parte, & sic non includere terminum ad Quem, vel pro *toto*, & sic utrumque comprehendere, ut Matth. 3. v. 8. facite fructus dignos pœnitentia. Vbi notandum, Ioannem intelligere & mandare fructus salutares Pœnitentie, quales esse sine Fide, termino ad Quem, non possunt, Rom. 14. v. 25. Heb. 11. v. 6. per Pœnitentiam ergo eam intelligit, quę coniunctam habet fidem. Matth. 3. v. 11. iterum dicit Iohannes: *ego baptizo vos in aqua in pœnitentiam*. Vbi per pœnitentiam non potest intelligi ea, quæ est *sine fide*, cum Paulus, Act. 19. v. 4. aperte testetur, *Ioannem baptizasse populum baptismō pœnitentia*, dicentem, ut crederent in eum, qui post eum venturus esset. Et sic pluribus in locis. Nec obstant dicta Marc. 1. v. 15. Luc. 24. v. 47. Act. 2. v. 38. cap. 20. v. 21. Matth. 27. v. 3. Concedimus enim ultrò, ibi Pœnitentia vocabulum sumi pro priore tantum parte, juxta Theologorum regulam, non tamen inde à particularibus ad universale licet procedere. 4. falsum item esse vocem Pœnitentia latīns patere, quām *Conversionis*, cum contrarium ē S. literis probari possit, quodd nempe Pœnitentia & conversio tam pīs, quām *impīos* tribuantur: quin imò quodd *Conversio* dicatur omnis mutatio tum in Theologia, tum in quotidiano sermone. 5. *Conversio* potius dicit tantum terminum à Quo, cum ille dicatur verti & converti, qui ab incepto suo desistit. 6. Et licet connotare dicatur terminum ad Quem, illum tamen notat indefinitum, non definitum, quod est in Pœnitentia.

XIX. II. Negant Pœnitentiam, licet alio, quām Novatiani modo; Ut enim hi lapsos post Baptismum redire posse negant: ita Calviniani electos Dei filios vere pœnitentes & semel renatos ac sanctificatos Spiritum Sanctum amittere posse ne-

gant, atque ita renatos pœnitentiâ opus non habere contendunt, ut statuit Pareus Comm. in cap. 5. Rom. pag. 455. & alij Calviniani, cum quibus consentiunt & Anabaptiste, contra quos adducimus I. 1. Cor. 10. v. 12. qui se existimat stare, videat, ne cadat. In quo dicto notandum 1. intelligi casum non externum, non *Physicum*, non corporis, non fortunæ, sed internum, animæ & spiritualē, eumque non parialem, & temporalem, sed totalem & finalē, cum is hic casus intelligatur, quo olim Iſraelites ceciderunt; at multi eorum aeternū perierunt. 2. subiectum huius loci esse non *hypocritas* (ut quidam voculâ δοκεῖν decepti arguere forsitan possent) sed fideles & verè stantes 1. quia illi in hoc versu intelliguntur, ad quorum admonitionem v. 11. hec scripta sunt; At scripta sunt in admonitionem totius Corinthiacæ Ecclesiæ, in qua, tam verè stantes, quam stare se existimantes, & lapsi, manifestè comprehendebantur. Ergo. 2. quia illi hic intelliguntur, quibus fidelis est Deus; quos non patitur tentari supra id, quod possint; quibusq; exitum tandem praefat felicem, ut possint sustinere. At tales sunt electi. Ergo illi hic intelliguntur. 3. ipsa versiculi huius verba explicationem aliam non patiuntur: *Qui enim debet videre, nec cadat, ille certè stat, alias frustranea esset admonitio. Fideles, & hic ouenendo inas Corinthij debent cavere, ne cadant.* Ergo possunt cadere, casu interno, spirituali, totali & finali. II. Rom. 11. v. 20. 21. *Tu fides as, noli superbè de te sentire, sed time, si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat.* Ex quo argumentamur: *Quicunque monentur, ut caveant, ne gratia, in qua stant, excidant, iij gratia illa possunt excidere: alias vana esset admonitio.* At Paulus renatos in his verbis admonet ut caveant, ne gratiâ excidant. Sequitur ergo, impossibile non esse, ut electi Dei filii gratia excidant. III. Phil. 2. v. 12. *Cum metu & tremore operamini vestram salutem.* Notandum 1. subiectum hujus testimonij esse Philippenses sanatos cap. 1. v. 1. charissimos, c. 2. v. 12. obedientes, eod. inscriptos libro vita, cap. 4. v. 3. ergo renatos & in gratia constitutos. 2. Apostolum non loqui tantum secundum iudicium Christiane charitatis, quæ semper optima sperare debet, sed illos verè electos esse arguere aut ex causa, aut ex effectis. 3. timorem

rem & tremorem intelligi non servilem, sed filialem, coniunctum cum metu & periculo exhortationis. 4. cupere Paulum carnalis securitatis veternum nobis excutere. Ex quibus tale resultat argumentum: *Quicunq^z cum timore & tremore salutem suam operari iubetur, ille salutem sua excidere potest.* Omnes sancti salutem suam cum timore & tremore operari iubentur. Ergo eadem excidere possunt. IV. Apoc. 3. v. 11. Tene, quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam. Per coronam intelligitur non ministerium, sed vita aeterna; dicitur enim corona vita. Apoc. 2. v. 10. corona iusticia 2. Tim. 4. v. 8. Vnde si: *Quicunque non retinent dona semel concessa, si possunt corona vita spoliaari.* At multi non retinent dona semel concessa, & inchoativè possessa. Ergo. Minor patet exemplis Protoplastorum, Gen. 3. Sanlis, 1. Sam. 9. v. 2. c. 10. v. 6. 17. c. 16. v. 14. Indæ, Luc. 22. v. 30 Petri, Luc. 22. v. 57. & plurimorum aliorum. V. A natura decreti electionis & reprobationis: *Nullum est adeo absolute electionis vel reprobationis decretum de hominibus in tempore per media ad salutem dedicendi, ut in gratia constituti ab eadem excidere, vel ex gratiam positi ad ipsam redire non possint.* Ergo nec in tempore homines ita fataliter & absolute in gratiam collificantur, ut eā nunquam excidere possint. Consequentia est optima; quia inter decretum ab aeterno, & eius in tempore executionem exactissima est harmonia. Antecedens probatur, quia decretum de hominibus in tempore salvandis semper est hypotheticum, cum conditione fidei in meritum Christi. Ephes. c. 1. v. 4. 2. Tim. 1. v. 9. Ioan. 6. v. 40. Iac. 2. v. 5. VI. Adeletione è libro Vita. Exod. 32. v. 33. qui peccaverit mihi, delebo eum de libro meo. Psal. 69. v. 29. deleantur de libro viventium & cum iustis non scribantur. Apoc. 3. v. 5. qui vicerit, non delebo nomen eius de libro vita, cap. 22. v. 19. si quis diminuerit de verbis libri Prophetie huius, auferet Deus partem eius de libro Vita. Per librum Vita intelligitur aeternum illud Dei decretum, quo gratia salvare decrevit illos omnes, qui in Christum erant credituri. Vnde argumentamur: *Quicunque è libro vita, cum sit inscriptus, potest deleri, ille potest excidere gratia positio enim esse est, ponitur eiusdem causa.* At qui peccat Deo, Exod. 32. iniurici Christi, Psal. 69. qui diminuerit de verbis libri Prophetie

Ioannis

Ioannitica, Apoc. 22. non tantum possunt, sed ipso actu delebuntur è libro vita. Ergò possunt etiam excidere gratia Dei. VII. Ab absurdis inde resultantibus; sequeretur enim, omnes admonitiones & comminationes in Sacris à Spiritu S. adeo serio repetitas esse de nihilo & frustaneas: Dicunt Calviniani: Dehortationes illas & præmonitiones ideo fieri, ut renati torpescentes excitentur. Resp. Est fallacia causæ totalis; admonentur enim renati, non solum ut in cursu pietatis alacrius pergent, verum etiam ne cadant, I. Cor. 10. v. 12. ne excindantur, Rom. 11. v. 22. ne coronam vita amittant. Apoc. 3. v. 11. Nulla item opus esset Pœnitentia, ut ab initio erroris ostensum; *Quicunque enim iusti sunt, & manent, nec possunt fieri iniusti, ii non indigent Pœnitentiā.* Matth. 9. v. 12. 13. Luc. 15. v. 7. Atqui electi, regenerati & semel iustificati etiam tunc, quando gravia adversus conscientiam designant peccata, secundum Calvinianorum hypotheses nihilominus actu electi & iustificati sunt. Ergò Pœnitentiā opus non habet. Obiciunt Adversarii I. locum Matth. 24. v. 24. Surgeat Pseudo Christi & Pseudo Prophetæ, & dabunt signa magna, & prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri posset, etiam electi. Argumentantur: si electi non possunt seduci, sequitur, eos fidem & spiritum Sanctum nunquam posse amittere. At prius est, fide Christi: Ergò & posterius. Resp. I. ad antecedens negando; *Quicunque enim admonentur, ut caveant sibi à seductione, ii possunt seduci, alias supervacanea esset admonitio.* At electi in hisce verbis, admonentur, v. 23. ut caveant sibi à seductione. Ergò. Item: propter quos abbreviantur dies, ne seducantur, illi possunt seduci, & spiritum Sanctum finaliter amittere. At propter electos breviabuntur dies. Ergò illi possunt finaliter amittere spiritum Sanctum. 2. Phrasis illa: si fieri posset: exponi potest de difficultate aliqua, cum impossibile in Sacris sapienter idem, quod difficile. Id vero etiam hoc in loco recipiendum esse, contextus docet, cum, ut jam ostensum, etiam electi, de quibus hic Christus loquitur, seduci possint; *Quicunque enim commonet electos, ut à seductione caveant, is hoc ipso innuit, non omnino impossibile esse, ut seducantur.* At Christus monet electos. Ergò. 3. Posito, Phrasin: si fieri posset: explicandum esse de impossibilitate, sensus est, Anti-Christum suis præstigiis & fallacibus miraculis

raculis ultimis diebus tantopere saviturum, ut si possibile esset, etiam electi seducerentur, id est, si fieri posset, ut Ecclesia Dei militans in terris penitus interiret, omnes electi seducerentur. 4. Causæ, quibus salus hominis intervertitur, sunt duplices, alia primaria & interna, ut neglectus mediorum salutis, incredulitas, &c. alia secundaria atque externa, ut hæreses in mundo vigentes, prava exempla, pollicitationes, &c. de his posterioribus loquitur Christus potissimum, quod electi, si priores seductionis causas evitent, his seduci non possint; vaticinatur enim de calamitatibus & persecutionibus extremi seculi. 5. Vocabulum (possible) non refertur ad Electos, sed ad conatus Pseudoprophetarum, ut sit sententia: Non esse quidem ratione textu adductas impossibile, ut cadant & seducantur etiam electi. Sed impossibile futurum Pseudoprophetis, ut suis falsis dogmatib⁹ & miraculis ad defectionem Electos perducant: quandoquidem ita in Christo fundati sunt Electi perfidem, ut portæ inferorum adversus illos non prævaleant. Et, quia verè credentes alijs vident perspicaciū, fit inde, ut electi facile falsa dogmata & falsa miracula à veris dijudicent: & hac ratione (& sic nequaquam absoluta aliqua impossibilitate) impossibile sit ANTICHRISTO, Electos vel in suos Errores pertrahere, vel pertractos, in ijsdem detinere. II. Obiiciunt Ioan. 10. v. 27. 28. Oves mea vocem meam audiunt, & sequuntur me, & non rapiet eas quisquam e manu mea. Resp. Loquitur dictum hoc de externa vi, quæ oves Christi, quandiu oves Christi manent, id est, quandiu vocem eius audiunt, eumque sequuntur, nunquam e manu Christi rapiet. Est ergo dictum hoc à statu alienum, queritur enim, an peccatum oves Christi separare possit ab ipso, ita ut per peccatum excidant gratia Dei, non per externam aliquam vim; quod idem III. respondentium est ad illud Rom. 8. v. 39. nulla Creatura nos separare potest à dilectione Dei, quæ est in Christo Iesu. IV. Proferunt locum Rom. 8. v. 30. Quos prædestinavit, hos & vocavit, quos vocavit hos & iustificavit, quos iustificaverit, hos & glorificavit. Ex quo argumentantur: Quicunque necessario & absolute glorificantur, iij grātia Dei excidere non possunt. Omnes prædestinati necessario & absolute glorificantur. Ergo gratia Dei nulli possunt excedere

cidere. Minoris probationem sumunt ex verbis Paulini. Respond. 1. *Scopus* Pauli in hoc capite non est docere vel de *absoluta vocatione nostra*, vel de *necessaria glorificatione*, sed intendit Apostolus tantum variis calamitatibus pressos consolari, ne sub iis succumbant, quod facit pluribus argumentis, inter alia vero etiam verbis allegatis; 2. quorum Subiectum sunt electi, qui diligunt Deum, v. 28. qui iam ipso actu sunt in gratia Dei. 3. predestinati dicuntur non ad salutem, sed ad calamitates & afflictiones, quod patet ex vers. 29. ubi dicuntur predestinati, ut conformati IMAGINI Christi, scilicet imagini Crucis. 4. Vnde committunt fallaciam causae, putantes, ideo electos glorificari, quia sint predestinati, cum tamen ideo sint predestinati, conformes fieri imagini, quia sunt glorificandi. 5. Et si vel maximè locus hic (quod non negamus) de electione nostra explicandus esset, ORDO tamen modo describeretur, quem Deus in electione nostra observat. 1. enim est $\tau\alpha\pi\theta\epsilon\tau\sigma$ Dei, qua, ut in verbo ipsius revelata est, ante jacta mundi fundamenta proposuit omnes homines gratis per fidem in Christum salvare. 2. $\tau\alpha\pi\theta\gamma\eta\omega\sigma$, præscientia, quæ de Deo quidem non propriè, sed $\alpha\pi\theta\pi\alpha\pi\theta\omega\varsigma$ dicitur, cum Deus omnia præsentissime intueatur; dicitur vero præscientia respectu rerum futurarum. 3. $\tau\alpha\pi\theta\pi\pi\omega\varsigma$ prædestination ad $\sigma\mu\mu\pi\pi\lambda\pi$ Christi, quæ est triplex, crucis, gloria & infirmitate. 4. vocatio, nam extra cœtum vocatorum nulli sunt predestinati. 5. justificatio, quæ nihil aliud est, quam executio temporalis prædestinationis aeterno facta. 6. glorificatio, quæ ultimus est electorum gradus in altera vita. Ut ita 6. dictum hoc scopum non attingat; quæstio enim est, an, qui iam est in gratia Dei, postea vero graviter peccat, per PECCATA illa salutem suam intervertere. Ita gratia illa excidere possit, nos affirmamus ev. 13. huius cap. 8. si secundum carnem vixeritis, morimini. dictum vero, CALAMITATES EXTERNAS hominem de gratia Dei statu deiicere posse negant. V. Objiciunt 1. Ioh. 3. v. 9. Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo est. Ex hoc loco ita argumentantur: *Qui non potest peccare, ille non potest excidere gratia Dei;* negata enim causa, negatur effectus. *Qui natus est ex Deo,*

non

non potest peccare. Ergo. Respond. 1. ad Maiorem limitando, qui ita non potest peccare, ut *absolutè & fataliter*, quasi *vi aliqua ad bonum pertrahatur*, & à malo retrahatur, ille non potest excidere gratiâ Dei. 2. ad Minorem, Apostolus non dicit, electos, qui nati sunt ex Deo, ita *fataliter & absolutè* ad bonum protrahi, à malo verò arceri, ut non possint peccare, sed 3. notandum *subiectum* in hac propositione Apostolica, quod est, *qui natus est ex Deo, & semen eius habet in se*, id est, quicunque Spiritu Sancto est illuminatus, fidem in sese concepit, Deoq; adharet. 4. *pradicatum: is non potest peccare*, id est, cavet sibi à peccatis, ab iisque abhorret, nec quandiu semen illud intra sese retinet, potest ex deliberato consilio & destinata malitia peccare, cum alias non omne etiam de iusto peccatum negari possit. Est ergo sensus huius dicti: qui natus est ex Deo, *quatenus & quandiu talis, & quandiu semen Dei in se habet*, ille per hanc genituram destinatâ malitia non peccat, quam primùm verò peccat, amittit hoc semen & spiritualem genituram, fidem scil. gratiam, & Spiritum S.

X. III. Pœnitentiæ ova[n]tio[n]i flatuunt Spiritum S. Bucanus l. 30. Instit. p. 291. Quam tamen sententiam falsam esse probant. 1. *Trita Theologorum regula: opera divinitatis ad extra sunt indivisa.* 2. dicta Scripturæ, 1. Reg. 18. v. 36. 37. ubi Elias Deo opus Conversionis adscribit, *Deo quidem non trahi[n]us*, pro una tantum persona, sed *etiam pro omnibus tribus*; non enim solus pater aut filius est Deus Abraham, & Isaac, & Iacob, sed *omnes tres persona*. Ergo & omnes tres personæ convertunt cor hominis. Ier. 31. v. 18. quo loco *Spiritu S. quoque intelligi patet ex Heb. 10. v. 15.* ubi verba Prophetæ de *Spiritu S.* usurpantur. 3. quia *Spiritus S. est causa principalis verbi*, 2. Cor. 3. v. 3. Ergo & Pœnitentiæ. Causa enim mediorum est etiam causa finis. 4. Etiam Polanus *Spiritu S. principalem causam esse statuit*; dicit *Syn>tag. Theol. lib. 6. cap. 37.* regenerationem fieri à Deo Patre, *Filio & Spiritu S.* Regenerationis autem speciem facit *Respi[ci]entiam*, unde *quicquid enunciatur de Genere omni & toto, id enunciatur etiam de speciebus.* Si verò quis *ova[n]tio[n]* appellare velit omne id, quod vel essentialiter vel accidentaliter, *principaliter*,

ter, vel minus principaliter ad actionem concurrit, nos à tanta ἀκυροστοιχίᾳ abstinentum esse judicamus.

XXI. IV. *Contributionem partem Pœnitentia esse negant.*

Vbi quidem ipsi Calviniani dissentunt inter se, negant enim hoc Beza vol. I. fol. 238. & Bucan. lo. 30. quæst. 12. Contra verò affirmant Musculus in locis pag. 154. Keckherm. Syst. Theol. I. 3. c. ult. Aretius pag. I. probl. 34. Trencatius p. 324. & alij. Nos *Contributionem ad Pœnitentiam requiri suprà th. II.* probavimus, ut rationes plures addere necesse non sit. Objicit autem I. Beza, si *Contritio* esset pars pœnitentie, res esset suapte naturā salutifera. At hoc falso est, quia proprie nil, nisi mortem & desperationem parit. Ergo nec illud. Resp. I. ad propositionem, negando consequentiam, 1. quia quod inest *Toti*, id non statim omnibus & singulis partibus inest; non enim sequitur, homo ratiocinatur; Ergo & corpus, pes, manus, &c. ratiocinantur. 2. quin contrariū potius non raro accidit, ut sc. de *Toto* aliiquid enuncietur, propter partem ipsius principalem, quod de altera parte prædicari non potest; sic homo vivit propter animam, & anima vivit, non sic etiam corpus, nisi per accidens & mediately. 3. idque maximè in Theologia accidit, ubi sèpiùs aliquid salutare homini non est, nisi commode & utiliter applicetur; sic passio & mors Christi homini salutares non sunt, nisi homo sibi recte applicet. 2. Ad Assumptionem, negando, est enim *Contritio* duplex, una seculū, quæ mortem operatur, altera secundū Deum, quæ Pœnitentiam in salutem stabilem operatur, 2. Cor. 7. v. 10. illa salutaris non est, hæc verò salutifera, non quidem *per se*, sed propter accidentem fidem, nec tamen per accidens, acsi à Pœnitentia & remissione peccatorum abesse posset. Rationem autem assumpti quod attinet, committitur ibi fallacia effecti, falsissimumque est, est enim legis effectus maximè accidentarius, mortem & desperationem operari, cum lex in se, sit sancta, iusta & bona, Rom. 7. v. 12. 1. Tim. 1. v. 8. quæ mortem, non operatur; qualis enim causa, talis & effectus; primitusque data erat hominibus, ut normam colendi Deum haberent, & per eam viverent; per accidens verò fit, ut mortem eandem non impletibus operetur. Etsi enim terreat & mortificet conscientias,

Scientias, quando mortem annunciat delinquentibus, non tamen desperationem operatur, nisi in hominibus lege male utentibus. II. Objic. *Quod præcedit Pœnitentiam, non est pars pœnitentiaæ. Contrito præcedit Pœnitentiam.* Ergo. Minorem probant ex Act. 2. v. 37. 38. quia illis, qui iam compuncti erant, Petrus mandat Pœnitentiam agendum. Resp. 1. ad Maiorem, quæ absolute ita accepta vera non est, cum partes ordine naturæ, & sæpe etiam tempore priores sint suo Toto. 2. ad Minorem, præcedit Contrito Pœnitentiam ordine naturæ generantis (si ita loqui licet) ut omnia componentia five partes præcedunt compositum five totum: non verò præcedit, ut aliquid à Pœnitentia diversum. Probationem quod attinet, respondetur. 1. vers. 38. intelligi Pœnitentiam completam, omnibusque numeris consummatam, 2. ad Contritionem pertinet 1. agnitione peccatorum; deinde dolor de iisdem; & 3. abstinentia ab illis. Hæc autem tria in vocabulo κατεύγοντα, compuncti sunt, v. 37. non continentur, sed vix primum; auditæ enim concione Petri, præsentes commoti sunt, 1. admirati sunt doctrinam novam & nunquam antea auditam. 2. agnoverunt vitam suam contaminatam, sequè hac ratione vitâ aeterna frui non posse. &c. 3. modò quaruat è Petro, quid ipsi faciendum sit, quos Petrus ad dolorem de peccatis, abstinentiam ab illis & fidem remisit, quod ex οὐναφέα textū claret. Si enim populus è Concione Petri Contritionem concepit, concepit etiam fidem; quia Petrus concionatus est populo Evangelium è Psalmiss & Prophetis, quod est causa fidei; si hoc, frustrè alligasset eos ad pœnitentiam & fidem in Christum, tanquam rem iam antea conceptam & possessam, quod facit vers. 38.

XXII. V. Fidem partem Pœnitentia esse negant, Bucanus lib. de Pœnit. quæst. 6. Calvinus lib. 3. Inst. c. 3. se & 3. statuunt enim, fidem præcedere pœnitentiam, hancq; ex illa analysi. Polanus Syntagm. Theol. lib. 6. cap. 36. Et Disp. tom. 2. disp. 41. de Resipisc. th. 13. fidem instrumentalem causam internam dicit; Ut enim ad Deum accedamus, oportet nos esse persuasos ex Evangelio, eum nobis in Christo propitium esse, secus tanquam severum iudicem eum exhorribimus, imò ut hostem averravimus. Sunt verò alij, qui contrà sentiunt, fidemq; pœnitentie

et à partem esse concedunt, ut Sohnius, Trelocatius, &c. Nos fidem pœnitentia partem esse suprà th. 11. demonstravimus, præter quas rationes probamus etiam I. dictis, Act. 10.43. c. 13. v. 39. c. 15. v. 7. Phil. 3. v. 9. II. à generali fidei necessitate, sine qua impossibile placere Deo, Hebr. 11. v. 6. Rom. 14. v. 25. III. ab effectu eiusdem, quia distinguunt Pœnitentiam salutarem à falsa & hypocritica, sive à sola Contritione. IV. Ex ipsorum met Calvini anorū dissentientium Pœnitentia definitione; Calvinus definit veram ad Deum vitam nostra Conversionem; Hæc Conversio fit vel operibus vel fide; non illis, quia nulla opera ita sunt perfecta, ut ex se veram Conversionem operari possint. Ergo fit fide. Rationes Adversariorum sunt I. fide Evangelii gratiam nemo amplecti potest, quin ex errore vita prioris in rectam viam se recipiat, & totum suum studium ad pœnitentiam meditationem applicet. Resp. 1. Confunditur fides historicā cum salvifica; illa Pœnitentiam præcedit, hæc non. 2. Fallitur Calvinus, qui nos Pœnitentiam Fide priorem esse statuere autumat, cum simul sint, hacque absente, nec Pœnitentia salutaris & vera esse possit. 3. nulla ratio Consequentia: gratia fide apprehendi non potest, nisi mutata vita prava in mehorem; Ergo fides pœnitentiam præcedit. Contrarium potius sequitur mutationem scil. vita impiæ (quam illi Pœnitentiam, nos Contritionem vocamus) Fide priorem esse, quia hæc sine illa esse non potest. II. Objic. Matth. 3. v. 2. Et cap. 4. v. 17. Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum Cœlorum, in quibus verbis respescendi causam ab ipsa gratia & salutis promissione duci. Calvinus ait, perindeq; valere verba, ac si dicerent, quoniam appropinquavit regnum Cœlorum, ideo respescite. Resp. 1. Regnum Cœlorum sumitur varijs modis, 1. pro beatorum statu post hanc vitam, Matth. 19. v. 24. Luc. 13. v. 29. 2. Pro publica Evangelii prædicatione, Matth. 13. v. 24. 44. 47. 52. 3. Pro Ecclesiæ renovatione, Matth. 3. v. 2. c. 4. v. 17. 4. Pro Ecclesiæ militante, Matth. 5. v. 19. &c. nuspiciam vero sumitur profide, ut Fegvernekinus in Enchir. Loc. Comm. Theol. ipse fatetur; Ut ita 2. Calvinus nihil concludat, atque à statu aberret, quando causam pœnitentia ponit adventum regni cœlorum, cum quæstio sit inter nos de fide. Hinc licet 3. verba

ba illa posteriora respectu superiorum causaliter exponantur, fidem tamen à Pœnitentia, ut partem, non solvunt, sed 4. Ioannes & Christus verbis hisce idem dicere volunt, quod Paulus Act. 17. v. 30. tempora quidem huīus ignorante dissimulans Deus, nunc annūciat hominib⁹, ut omnes ubique pœnitentiam agant, id est, et si omni tempore pœnitentiā opus erat, nunc tamen maximē ea negligenda non est, quando apparuit gratia Dei salutifera omnibus hominib⁹, erudiens eos, ut abnegantes impietatem & secularia desideria, modestè & iustè & pie vivant in hoc seculo. Tit. 2. v. 11. 12. III. Objic. Quod fidem sub Pœnitentia complectamur pugnare id cum eo, quod Paulus Act. 20. v. 21. dicit, se Inde ac gentibus testificatum in Deum, Pœnitentiam, & fidem in Iesum Christum, ubi Apostolus Pœnitentiam & Fidem, tanquam duo diversa coniungat. Resp. 1. Iam s̄p̄ius responsum est, vocabulum Pœnitentia pro parte tantum sumi, quando fides adjungitur; hinc 2. Pœnitentia pro Contritione & Fides sunt diversa, sicut duæ partes unius totius à se invicem sunt diversæ. 3. Quin potius, quando Spiritus Sanctus Pœnitentia Fidem adiungit, illud haud dubio subiunxit, esse fidem potiorem Pœnitentia partem, quæ abesse non possit. 4. particula ῥη, non est separativa, sed copulativa, quæ non raro εξηγεωσι significationem habet, ut Act. 3. 19. c. 26. v. 20. Inflat Calvinus: Etsi Pœnitentia & Fides separari non possint, distinguunt tamen debere, quemadmodum sine sp̄e Fides non est, & tamen fides & sp̄es varia sunt. Resp. 1. Concedimus omnino, distinguiri fidem à Pœnitentia, vel ut pars à Toto, vel ut pars à parte; esse vero eas toto cœlo & genere diversas, id est, quod per negamus. 2. inconveniens est simile de sp̄e cum fide coniuncta, sp̄es enim fidei nec addit, nec demit quicquam, sicut Fides Pœnitentia addit & demit complementum. 3. & quid multis? Calvinus ipse tandem sic concludit: equidem nec me latet, sub Pœnitentia nomine totam ad Deum conversionem comprehendendi, cuius pars non postrema fides est. IV. Objic. Niniuit as prius credidisse, deinde prædicasse ieiunium, &c. Ion. 3. v. 5. Respond. Fides, quæ præcessit Pœnitentiam Niniyitarum, fuit historicus tantum assensus, quo vera esse credebant, quæ à Iona prædicata fuerant; accedente vero etiam, per gra-

38 Disputatio Theologica,

tiam Spiritus Sancti operantem, assensu filiali & fiduciali, ille confessum per exercitiam pietatis sese exerere cœpit.

XXIII. VI. Partes Pœnitentia faciunt mortificationem carnis, seu veteris hominis, & vivificationem spiritus, sive novi hominis, ut Calvinus lib. 3. Inst. cap. 3 sect. 5. Beza vol. 1. f. 328. Polanus Syntag. Theol. lib. 6. cap. 37. Bucanus, & alii. Sunt tamen inter ipsos Calvinianos, qui alter statuunt, ut Sohnius tom. 1. p. 185. ubi ita: *Partes Pœnitentia alii duas esse dicunt, mortificationem & vivificationem: alii tres, contritionem, fidem, & novam obedientiam.* Et hanc posteriorem partitionem ipse amplectitur, sicut & thesi præcedente 22. ostensem, alias rejicere, alias admittere *Fidem* partem Pœnitentia. Nos duas hasce partes partim rejicimus, partim admittimus. *Hoc;* si per mortificationem *Contritio*, seu dolor ex agnitione peccatis, & sensu judicij Dei conceptus: per vivificationem autem *consolatio*, quæ ex fide est, intelligatur, sicut docti quidam viri secundum regulam scripturæ rectè accipiunt. *Illud;* si per mortificationem veteris hominis nativæ corruptionis abolitionem a Spiritu S. profecta, & sensim perficienda: per vivificationem verò novi hominis vis illa, quæ nostræ nativæ corruptionis abolitionem paulatim efficit, intelligatur, ut Polanus Disp. tom. 2. de Resipiscientia, th. 28. 29. explicat. Rationes nostræ sunt. I. dicta Scripturæ, in quibus Pœnitentia per Contritionem & Fidem exprimitur, de quibus a Etum th. 21. 22. II. Partes essentiales & propriæ toti soli debent convenire. Mortificatio carnis & vivificatio Spiritus non soli convenient Pœnitentia, quia & nova obedientia tribuuntur, teste Piscatore loco 24. th. 29. Ergò non sunt partes essentiales. Instat Polanus Syntagm. Theol. lib. 6. cap. 37. ita: *Haec partes rectè tribuuntur & regenerationi & resipiscientia, sed diverso sensu.* Nam regenerationi tribusuntur actiones, id est, ut actiones Dei mortificantis & vivificantis, sicut & regeneratione est actio Dei. resipiscientia verò passiva, id est, ut passiones hominis resipiscientis, qui mortificantur & vivificantur. Respond. 1. Verum quidem est, mortificationem carnis seu veteris hominis, & vivificationem Spiritus, seu novi hominis esse passiones respectu hominis mortificati & vivificati, ut ex S. literis patet, Rom. 6. v. 6. cap. 7.

cap. 7. v. 4. Eph. 3. v. 16. cap. 4. v. 22. 23. At in hoc partes regenerationis & pœnitentiae differre dicitur magis, quam probatur, Ignorationem Elenchi namque committunt adversarij, dicentes, partes regenerationis sumi attivè, pœnitentia vero passivè; sumitur enim mortificatio & vivificatio etiam in regeneratione passivè respectu hominis regenerandi, attivè vero respectu Dei, sicut & in Pœnitentia, quod & ipse Polanus facit, dicens, regenerationi tribui attivè, id est, ut actiones Dei mortificantis & vivificantis: respicientia vero passivè, id est, ut passiones hominis respicientis, quod equidem est distinguere aliquid, non nœb^o aut^o, w^o r^o aut^o. Est namque & Pœnitentia actio respectu Dei convertentis, Ier. 31. v. 18. Thren. 5. v. 21. 2. Tim. 2. v. 25. passio vero respectu hominis contriti & conversi. 2. nec pœnitentia (cum suis partibus) tantum est passio, ut nihil actionis contineat, cum respectu hominis quoad externam Pedagogiam etiam actio dici possit, quatenus nimirum homo actioni divinæ actuali contradicendi libidine & consumaci malitianon reluctatur, sed templum ingreditur, prædicatum verbum audit, historicè discit, historicè assentitur, carnem suam refranare, de peccatis suis dolere & gratiam divinam implorare incipit; Sicut & ipse Polanus actionem aliquam in homine concedit, dum mortificationem agnitione, confessione & contritione constare afferit, lib. 6. cap. 37. III. Ratio. Partes essentiales & constitutiva suo Toto sunt priores. Mortificatio carnis, & vivificatio Spiritus pœnitentiarum sunt posteriores. Ergo non sunt eiusdem partes constitutiva. Maior è Logicis manifesta est. Minor patet è Gal. 5. v. 16. Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis. Vbi notandum 1. quid sit Spiritu ambulare, scil. vivere secundum nutum & dulcem Spiritus Sancti, siue iuxta dictamen Evangelii, cuius terminus, scopus & fundatum solus est Christus, 1. Cor. 3. v. 11. Eph. 2. v. 20. 2. quid sit desideria carnis non perficere, sc. mortificare carnem, reluctari pravis cupiditatibus, nec obedire carni mala suadenti, ut in sequentibus Paulus desideria illa ex plicat. 3. quomodo Paulus hæc duo coniungat, nimirum PRÆMITTIT ambulationem Spiritu, seu salutarem hominis conversionem, quæ continet Contritionem & Fidem (estenim mandatum Spiritus: pœnitentiam)

40 Disputatio Theologica,

tentiam agite & credite Evangelio) deinde subiungit suppressio-
nem carnis, ne desideria eius perficiantur. Fundamenta ad-
versariorum sunt, Psal. 34. v. 15. *Define à malo, & fac bonum.*
Esa. 1. v. 9. Quiescite agere perversè, & discite facere bene. Et
huius generis plura. Resp. 1. Describitur in his & simili-
bus locis Pœnitentia non à priori, sive partibus, vel causis
suis, sed à posteriori, scil. effectibus & fructibus, utpote nobis
notioribus. 2. effectus illi presupponunt causas, cuicunque
enim mandatur studium bonorum operum, cuiq; idem curæ
est, is omnium maximè curā adhibere tenetur, *ut opera ipsius*
sint bona, quod nulla ratione, nullo modo in sensu Evange-
lico contingat, nisi per fidem.

XXIV. Errant III. P O N T I F I C I I , statuentes;
I. Pœnitentiam (exteriorem scilicet, de interiore enim dicunt,
quod sit *virtus mentis*) esse Sacramentum. Concil. Trident.
Sess. 14. càn. 1. Bellar. lib. 1. de Pœn. cap. 9. 10. 11. Nos, præ-
missâ distinctione, negamus: Sumitur enim vocabulum Sa-
cramentum vel late, vel strictè & propriè. L A T È Sacramentum
dicitur ritus, qui habet mandatum Dei, & cui addita est promis-
sio gratiæ, & sic præter duo genuina, & proprie sc̄ dicta, etiam
Pœnitentia & Oratio Sacra menta appellari possunt, ut doce-
tur art. 13. Apologia August. Confess. P R O P R I È Sacra-
mentū est actio divinitatis instituta, in qua sub visibilibus signis in-
visibilia dona nobis exhibentur & donantur,. Illo modo Pœni-
tentiam Sacramentum dici posse concedimus; hoc verò nega-
mus; Rationes sunt I. Ad substantiam verè & propriè dicti Sa-
cramenti, requiritur non solum promissio gratiæ, quam Pœni-
tentia non denegamus, sed & externum visibile Elementum.
Pœnitentia non habet externum visibile Elementum. Ergo. Ma-
jor probatur 1. ex institutione & praxi verorum Sacra-
mentorum, (ut Bellarminus quoque lib. 1. de Pœnit. cap. 11.
col. 1205. asserit) quæ omnium consensu sunt Sacra menta:
tum Baptismi, Matth. 3. v. 11. *Ego baptizo vos*, inquit Iohannes,
aqua (en elementum visibile) in pœnitentiam (en pro-
missionem gratiæ) Matth. 28. v. 19. Marc. 1. v. 5. 8. 9. Luc. 3.
v. 16. Ioa. 3. v. 5. Act. 8. v. 38. Eph. 5. v. 26. tum Cœna Domi-
nica, Matth. 26. v. 26. 27. 28. 1. Cor. 11. v. 23, & seqq. accepit
panem

panem & vinum (elementum) hic est sanguis meus, qui promul-
tis effunditur in remissionem peccatorum (annexa gratia pro-
missio) quod autem in una specie est essentiale, id & in altera
sit necesse est. 2. testimonio Patrum: Augustinus Sacra-
menta vocat verba *visibilia*, *invisibilis gratia visibilia signa*: ac-
cedat verbum ad elementum, & fit Sacramentum. Et pluribus
alijs rationibus, de quibus in Loco de Sacramentis. Minor-
rem probat experientia, quæ docet, etiam apud Pontificios in
Pœnitentia nec aquam, nec vinum, nec ullam aliam visibilem
substantiam adhiberi. Instant quidam pro Confessione pœnitentis,
quidam pro Absolutione, quidam pro manuum impositione
Sacerdotis, eaque externum illud esse. Resp. 1. ipsos propria
dissensiones refellunt; 2. actiones sunt hæc & ritus, non ele-
menta, quæ sunt substantia: item Confessio pœnitentis, & abso-
lutio Sacerdotis. AUDIBILIA sunt, non VISIBILIA, quæ si perti-
nerent ad essentiam Sacramenti, ita dicendum fuisset Augu-
stino: accedat verbum ad verbum, & fit Sacramentum. Nec ob-
stat Bellarminus, qui omne signum, quod aliquo externo sensu
percipitur, visibile vocari dicit; cum vox VIDERE sumatur qui-
dem aliquando metaphorice pro COGNOSCERE, nunquam vero
pro ALTERA sensu specie. Et licet Pontificij adhiberent ele-
mentum, eo tamen Sacramentum genuinum non constitue-
rent, cum non sufficiat elementum, sed idem à Deo mandatum
cum annexa gratia. 4. Sacramentum tam quoad terrenum,
quam caeleste INTEGRVM administratur à ministro, & INTE-
GRVM quoque percipitur. At in Pœnitentia Confessio non con-
fertur pœnitenti à ministro. Ergo. 5. In vero Sacramento neu-
trapar. p. test abesse, ut nihilominus Sacramentum permaneat.
A Pœnitentia vero abesse potest ABSOLUTIO Sacerdotis. II. Nul-
lum Sacramentum utriq; Testamento commune est. Pœni-
tentia vero mandata est tam in V. quam in N. Test. unde tot
& tam frequentes in Vet. Test. adhortationes de Pœnitentia
agenda, Ier. 3. v. 14. cap. 4. v. 1. Iоel. 2. v. 12. & infinitis alijs
in locis: sicut & Paulus afferit, Act. 26. v. 22. se nihil extra di-
xisse, quam ea, quæ Prophetæ locuti sunt, & Moses, qui vers. præ-
cedente 22. Pœnitentiam omnibus hominibus annunciauerat.
Excipit Bellarminus; Virtutem Pœnitentiam fuisse in V. Test.

42 Disputatio Theologica,

non verò ut Sacramentum. Respond. I. negamus distinctionem inter Pœnitentiam, ut virtutem mentis, & inter eam, ut Sacramentum, utpote in S. literis non fundatam. 2. ipsimet Pontificij partes Pœnitentia ex V. Test. probare nituntur. Affirmationis adversariorum fundamenta generalia refutata sunt in Disquis. Theol. de Sacramentis in genere quæst. 7. pag. 38. seqq. in specie verò obiciunt I. Ioh. 20. v. 23. ubi dicunt, *extare ritum externum, & promissionem gratia.* Resp. Suprà ostensum est, non sufficere promissionem gratia, cum sic plura alia numeranda forent Sacra menta, sed requiritur & elementum externum visibile à Christo institutum. II. Objiciunt nobis Apologiam August. Confessionis, quæ Pœnitentiam dicat Sacramentū. R. Itidem indicatum, appellari Pœnitentiam Sacramentum in latiori significatione, ipsis si idem sentiant, nos non habebunt contrarios. III. Objiciunt. *Si assertio aquæ cum verbo, Ego baptizo te, Sacramentum est, signum etiam Pœnitentia;* quod peccator offendit, dum absolutionem petit, *cum verbo: Egote absolvo: Sacramentum erit.* At verum prius. Ergo & posterius. Resp. I. Si omnia, quæ in Baptismo sunt, in Pœnitentia reperiuntur, tunc conceditur consequentia. At negatur illud. Ergo & hoc. Ratio assumpti, quia in Baptismo reperitur 1. externum elementum, 2. verbum mandati, 3. verbum promissionis, 4. invisibilis gratia, & 5. actio, aspersio sive intinatio, quæ singula in Pœnitentia non reperiuntur. Vnde 2. committunt elenchum ab insufficiente enumératione partium. IV. Objic. *Si potestas infidelibus peccata remittendi non sine sacramento quodam exercetur, nec potestas fidelibus peccata remittendi sine Sacramento aliquo exerceri debet.* At verum prius. Ergo & posterius. Resp. Negatur consequentia, alia enim est ratio ad scindendū in corpus Ecclesię, alia verò jam ad scitorum; nec tamen illis quoque, qui in gremio Ecclesię peccant, sine Sacramento remittuntur peccata, sed ex fædere primitus in Baptismo cum ipsis inito.

XXV. II. Pœnitentiam esse secundam post naufragium tabulam, ut vocavit Hieron. epist. 8. & 47. in cap. 3. Esai. Ambros. lib. ad virginem lapsam cap. 8. tom. I. p. 137. Tertull. lib. de Pœn. p. 553. Cuius quidem propositionis duplex dari potest

potest explicatio. Prior, quod homo, qui per peccatum gratia Dei excidit, in grave periculum delapsus est pœnitentiam arripiat, & ad rectam semitam redeat, quæ sententia rejicienda non est. Posterior, quod homini è gratia Dei lapso non liceat amplius redire ad fœdus cum Deo in Baptismo initum, sed Sacramentum Pœnitentia, hoc est, pœnales SATISFACTIONES arripienda sint, non secus ac ij, qui in mari naufragium patiuntur, proximam quamq^z tabulam acceptant, eaq^z porum petunt, remissis omnibus aliis, id quod Concil. Tridentinum asserit, quam sententiam nos falsum aestimamus, statuentes, homini lapso ad Baptismi fœdus recurrentem esse. I. quia fœdus in Baptismo initum nunquam fit irritum, sed semper & in eternum permanet, Gen. 17. v. 13. Esa. 54. v. 10. Os. 2. v. 19. 2. Tim. 2. v. 13. Esa. 55. v. 3. Ier. 33. v. 20. 25. Ezech. 16. v. 60. II. Patet idem ex vocabulo reverti, quod in S. literis, quando de Pœnitentia agitur, frequens est, notatque terminum ad Quem, eum scil. a Quo revertens desciverat, non enim dici potest reverti ad locum aliquem, nisi qui iam antè ibi fuit, quod manifestè ostenditur Apoc. 2. v. 5. memor esto unde excideris, & age Pœnitentiam & prima opera fac. III. Ioh. 3. v. 3. 5. nisi quis renatus fuerit de nō, non potest videre regnum Cœlorum. Ex quo sic argumentamur: Si lapsus non licet reverti ad fœdus cum Deo in Baptismo initum, tunc cuivis post Baptismum peccanti necesse est rebaptizari, si modo regnum cœlorum possidere velit. At posteriori ipsi etiam Pontifici negant. Ergo falsum est & prins. Consequentia propositionis probatur, quia fide Christi renascentia semper opus est ad possessionem regni cœlorum. At secundum Pontificios renascentia prima lapsus non amplius est utilis. Ergo alia necessario indigent. IV. Etiam Sancti in V. Test. ad fœdus in Circumcisione cum Deo initum configuerunt, Ier. 14. v. 21. Ergo & nobis ad fœdus in Baptismo paclum, 1. Pet. 3. v. 22. recurrentum est. Objic. I. Heb. 6. v. 4. 5. 6. Impossibile est. eos, qui semel sunt illuminati, & prolapsi, rursus renovari ad Pœnitentiam. Vbi Apostolum negare dicit Bellarminus, lapsos per Baptismum renovari posse. Resp. I. Sensus dicti Apostolici non est de quovis peccatore, sed tantum de peccante in Spiritum Sanctum, qui cum non tantum SCIENTER & VOLENTER agnitam veritatem

abneget, abnegata blasphemet, & blasphemata oppugnet, sed & omnia media quoque salutaris conversionis animo OBDV-RATO abuiciat & conculcer, mirum non est, si talis, iusto Dei judicio, propriâ suâ culpâ reprobetur, ut suprà th. 17. ostensum. 2. non negat Apostolus peccatori renovationem tantum & recursum ad Baptismum, sed in genere omnem paenitentiam, ut ex mente Bellarmini omnis paenitentia effet frustranea. II. Si Baptismus valeat ad peccata non tantum praterita, sed etiam futura delenda, sequi peccata prius deleri, quam fiant. Resp. In Baptismo consideranda sunt duo, substantia & efficacia. Substantia baptizato conferunt uno tantum tempore, unoque tantum absolvitur: efficacia vero extendit se ad tempus non tantum presentis, sed etiam futurum. Vnde licet omnibus peccatis medeatur, non tamen id ea statim tempore prestat, quo conferatur, sed commissio iam peccato, quando baptizatus de eo dolet, fideque secundus baptismale in animum revocat, & apprehendit, tum Baptismus id delet, quod respectu collationis Baptismi potest dici futurum, respectu operationis vero & efficacie prateritum. Quod adeò absurdum non est, ut idem saepius in natura, & quotidiano usu contingat.

XXVI. III. Voluntatem hominis Paenitentia convitio constituant, quod patet 1. ex verbis Thomæ 1.2. quæst. 114. art. 6. opus nostrum habet rationem meriti ex duobus; primo ex vi motionis divinae, & sic meretur aliquis de condigno; deinde secundum quod procedit ex libero arbitrio, & hinc meritum congrui; Idemque dicit alijs quoque in locis. 2. Ex Scoto, Occamo, & alijs, qui hominem ex puris naturalibus Deum super omnia diligere posse disputant. 3. Ex verbis Bellarmini lib. 2. de Pœnit. cap. 2. Propos. 2. qui Contritionem dicit esse actionem liberam. lib. 6. de grat. & lib. arbit. cap. 10. col. 901. Ipsum credere, quod est opus Dei, inbet Dominus, ut ipsi operemur, ac per hoc inbet, ut Deo in hoc opere cooperemur. Vnde apparet, statuere ipsos tum manifeste, tum consequenter, VOLUNTATEM hominis in Paenitentia COOPERARI. Nos contrà hominis voluntatem in Conversione sua mere passivè se habere statuimus, 1. Rationibus, quibus opus Conversionis soli Deo attribuitur, Deut. 29. v. 3. 4. Ezech. 36. v. 26. 2. Cor. 3. v. 5. Phil. 2.

V. I 30.

v. 13. de quibus suprà th. 5. II. Quicunque per peccatum ita est corruptus, ut omne pigmentum cordis ipsius tantummodo malum sit omnibus diebus; bonum, quod vult, non agit, malum vero quod non vult, operatur; cui Spiritus Dei stultitia est; cuius Opus inimicitia adversus Deum; qui mortuus est in peccatis; illius vires ad bonum opus perficiendum in spiritualibus N U L L A E sunt. Aliqui omnis homo ita corruptus est, ut omne pigmentum cordis ipsius tantum sit malum, Gen. 6. v. 5. c. 8. v. 21. bo. um, quod vult, non agit, malum vero quod non vult, operatur Rom. 7. v. 19. ei Spiritus Dei stultitia est, I. Cor. 2. v. 14. eius Opus inimicitia est adversus Deum, Rom. 8. v. 7. mortuus est in peccatis; Eph. 2. v. 1. Ergo vires illius ad bonum opus perficiendum in spiritualibus nullæ sunt. III. Quocunque verbis describitur passivis, illud se merè habet passivæ. Conversio in homine verbis describitur passivis; dicitur enim percussio cordis, 2. Sam. 24. v. 10. scissio cordis, Ioel. 2. v. 13. infixio sagittarum Domini, Ps. 38. v. 3. &c. Ergo. Objic. I. si vires hominis non cooperentur Deo, frustrâ præcipi hominibus ut ad Deum se convertant. Resp. 1. Apræcepto divino ad nostrum posse non valet consequentia; multa enim imò plurima IURE mandat nobis Deus, quæ in nostris viribus non sunt; sicut enim is, qui alicui centum florenos concredidit (quocunque modo illos etiam perdiderit) I V R E optimo semper potest reperere: ita Deus Opt. Max. IURE optimo exigere & repetere potest ab homine etiam post lapsum OMNE id, quod ANTE lapsum ipsi concedidit, quocunque modo id etiam in lapsu decoquendo & dilapidando perdidit. 2. Nec tamen iniquus aut iniustus est D E V S, qui rem impossibilem à nobis exigit, cum id saltē requirat, quod de iure ipsi debemus, cuiusque præstandi impossibilitatem ipsius nobis contraximus. Et ut servus, quem herus peregrè mittat, is verò data opera in via se lèdat, ut jussa herilia exequi non possit, mandatis & legibus herilibus se non liberaret, sed nihilominus domino suo obligatus esset: ita D E V S hominibus, cum adhuc vires obediendi essent integræ, mandata dedit, quorum expediendorum impotentiam ipsi sibi conferunt, unde mandatis illis solutiones sunt, Deus que metitissimo requirit ab ipsis, quod ei optimo jure debent. 3. Exi-

46 Disputatio Theologica,

git autem Deus id à nobis *impotentibus*, ut in *humilitate* per-
severemus; *impotentiam nostram agnoscamus*; atque *adintro-*
rem quæramus. 4. dantur etiam actus quidam *Padagogici*,
Conversionem nostram præcedentes, qui *in nostris sunt viri-*
bis, ideoque à *nobis* requiruntur. II. Si *omnis cooperatio viri-*
bis humanis adimatur, *introduci absolutum decretum*. Resp.
1. Negatur *Consequentia*; dantur enim aliquot actus in
Conversione nostra: *auditus externus verbi*; *assensus historicus*;
peccati recordatio; *agnitio*; *deteſatio*; *ira divinatimor*; *Con-*
scientia horror & dolor; *Fides iustificans in Christum*, seu *filialis* *fi-*
ducia, &c. *Priores* sunt aliquo modo in *viribus humanis*; *Pos-*
teriores vero, inter quos est *Pœnitentia*, seu *salutaris hominis* *conver-*
sio, nullo modo *hominum viribus*, sed *gratia Spiritus* *Sancti operanti* sunt *adscribendi*. 2. *Absolutum decretum* est *sine omni conditione & intuitu fidei in Christum*, sed cum *fâ-*
tali necessitate coniunctum, ut *convertatur homo*, *velit*, *nolit*: *Deus* vero non ita convertit homines, sed *cum conditione fidei* *in Christum*, si oblatam gratiam non exutiant, nec *Spiritu* *Sancto* *resistant*.

XXVII. IV. *Fidem in Christum salutaris Pœnitentia* partem esse negant: imd Concil. Trident. *damnat eos*, qui fidem partem Pœnitentia esse contendunt: eandemque Bellarmi-
nus, ut proſus non *Catholicam*, & *figmentum Lutheranum re-*
icit. I. 1. de Pœnit. c. 2. 19. &c. Quem quidem errorem Pon-
tificij communem habent cum Calvinianis quibusdam, de quo
suprà th. 22. & II. ubi fundamenra tum nostra exposita &
firmata, tum adversariorum diruta & deſtructa.

XXVIII. V. *Partes Pœnitentia* statuunt tres; CONTRI-
TIONEM CORDIS, CONFESSIONEM ORIS, & SATISFACTIO-
NEM OPERIS. Concil. Trident. Sess. 4. c. 3. Aliter vero sen-
tientibus anathema dicit, cum actus hi ad plenā & perfectam re-
missionem peccatorum pertineant, Sess. 14. c. 4. At hæc senten-
tia falsa & erronea est. I. Quia in S. literis huius nullum ha-
bemus mandatum, nullum exemplum ullius, qui ad meūtem
Pontificiorum Pœnitentiam instituerit suam. II. prima &
secunda pars etsi in verè quoque pœnitentibus reperiantur,
non tamen eo, quem adversarij urgent & desiderant, *sensu*:
fatis-

satisfactio verò operis *omni* reicitur, ut in sequentibus patet. III. A Scriptura alienum est, propria dispositioni & actibus humanis vim aliquam efficienda remissionis peccatorum tribuere. Nec obstat, quod actiones illas in pœnitente à verbo *Absolutionis* formari, & vim suam accipere putat Bellarminus; cum enim fine Scriptura dicat, eadem id facilitate rejici potest, qua assertur: item non simpliciter *Absolutio ministri à peccatis* liberat & absolvit; cum aliás quisvis, etiam hypocrita & sceleratissimus, absolutionē & remissionem peccatorum comparare, & vel argento aurové redimere posset, sed potest illa jam ante Ioh. 20. v. 23. lumiata & resticta est, Matth. 10. v. 11. in quamcunque civitatem aut castellum intraveritis, interrogate, quis in ea dignus sit, & ibi manete, donec exeat. Si autem discipulis corporalem cohabitationem indignis non licuit tribuere, multò minus spiritualia dona indignis conferre licebit. IV. Scriptura exempla monstrat eorum in quibus res hæ partes inventae fuerunt, qui tamen salutari pœnitentiā caruerunt. Cain de fraticidio suo doluit, idem Deo ipse confessus est, multam quoque exilij sibi ipsi imposuit, Gen. 4. v. 13. 16. Iudas de proditione sua doluit, ipsis Pontificibus delictum confessus est, multavit se non tantum 30. argenteis, sed & vitâ, Matth. 27. v. 3. 4. 5. neuter tamen horum remissionem peccatorum hac sua pœnitentia consecutus est, Matth. 26. v. 24. Psalm. 69. v. 25. 26. Actor. 1. v. 20. Si verò objiciant adversarij, obfuisse illis desperationem, proprio semet jugulant gladio, conceduntque, licet quis tres pœnitentiæ partes observet, fide verò careat (cujus absentia desperabundos reddit,) illum remissionem peccatorum non consequi, quod & nos non negamus. V. Sunt inter ipsos Pontificios aliqui, qui aliter sentiunt. Durandus in 4. d. 16. q. 1. *Solam Confessionem dicit esse Pœnitentia partem. Canonum & decretorum Iuris Canonici compilator dist. 1. de Pœnit. causâ 33. q. 3. can. 33. 34. non nisi contritionem Pœnitentiæ partem esse probat. Quin & ipse Bellarminus lib. 1. de Pœnit. cap. 20. scribit, extra Sacramentum facile fieri posse, ut sine confessione & satisfactione per internam cordis Pœnitentiā iustificetur homo. Scotus in 4. d. 14. q. 4. ita definit Pœnitentiam: Pœnitentia est absolutio hominis pœnitentis*

48 Disputatio Theologica,

nitentis facta certius verbis c. ad dicitur ita intentione prolati à Sacerdote iurisdictionem habente ex institutione divina efficaciter significantibus absolutionem anima à peccato. Quibus assentitur Gabriel in 4. d. 14. q. 2. art. 1. not. 3. Quos tamen Vazquez cum Thomistis concordia discordi, reconciliare conatur in part. 3. Thom. q. 84. art. 1. dub. 2. sed frustra.

XXIX. VI. In specie autem circa singulas hæc partes crassissimos fovent & docent errores; statuunt enim, *Contritionem debere esse perfectam & sufficientem, qua cum peccatorum magnitudine possit ex aquari*, adeo, ut si qui non adeo conterantur corde & ingeni sunt pro peccato, ut contritio sufficiat ad puniendum peccatum, si ante expiationem excederint ex hac vita, ignem purgatorium sint sensuri, ut testatur Lombard. lib. 4. dist. 20. Nos hanc opinionem erroneam esse probamus I. quia introducit & requirit rem impossibilem. Ut enim plenè & perfectè aliquis conteratur, requiritur, ut plenè & perfectè omnia illa peccata cognoscat, de quibus est dolendum, ipseq; conterendus; cum de ignota aliqua re dolere nemo possit. At impossibile est, quenquam omnia sua peccata agnoscere; delicta enim quis intelligit? Psal. 19. v. 13. Psal. 90. v. 11. Impossibile ergò est, quenquam contritionem obtinere perfectam & sufficientem. Instat hic Bellarminus: *debere illam saltem esse APPRECIATIVE sum- mā, id est, ut voluntas pluris estimet peccati detestationem, quam ullius boni consecutionem, aut alterius mali evitatem.* Resp. 1. distinctione hæc doloris vel appreciativè, vel intensivè, vel extensivè sumimi, testimonio caret Scripturarum. 2. dolor appreciativè summus includit intensivè summum; ut enim sit appreciativè summus, requiritur, ut voluntas summo conatu, iudicio rationis satisfacere cupiat, & Summo zelo peccatum detestetur. II. Est sententia dubitationis & desperationis plenissima, si enim de singulis peccatis dolendum est sufficienter, dubium oriri potest duplex, 1. ne forsitan peccatum aliquid commissum memoria peccatoris labili non occurrat, & ita de eo non doleatur. 2. ne forte Contritio magnitudine peccati minor sit; quæ dubia tandem peccatorem desperationi totum tradunt, ut de salute sua non solum dubitare, sed tandem omnino desperare cogatur homo. III. Nec cuiquam homini tempo-



temporis satis concederetur de peccatis suis dolendi, Christis enim Matth. 18. v. 22. fratri septuagies septies, (ubi quidem magnum numerum iu specie pro magno numero in genere ponit) remittenda esse peccata docet ; si remittenda , de ijs delinquenti prius dolendum ; dolendum ergo septuagies septies, id est , s̄e p̄fissimē & infinites pro peccatis tantum aduersus proximum committiſſis ; accedunt insuper peccata aduersus se metipſum , & Deum in Cœlis, quorum maior est numerus, ut ex crescatur super arenam maris , Iob. 6. v. 3. super grediat⁹ caput nostrum , Psalm. 38. v. 5. tempusque vita nostræ brevius sit, quam quod tanta Contritioni respondere possit. Obijc. I. Bellarm. Exemplum Davidis, Ps. 6. v. 7. Petri, Luc. 22. 62. &c. Resp. Scriptura non dicit, Petrum vel alium quenquam vel appreciativē, vel intensivē, vel extensivē sufficienter contritum fuisse, nec de singulis in specie peccati doluisse, multò minus in Contritione sua confitit⁹ fuisse ; sed potius totos se & sua opera damnasse, inq. solo Christi merito recubuisse. II. Nos contradictionis convincere conatur lib. 2. de Pœnit. cap. 10. cum doceamus, Contritionem, sicut dilectionem, debere proficisci ex toto corde, quod aliud nihil sit, quam debere esse perfectam. Resp. I. Statuimus, Deum à nobis requirere Contritionem ex toto corde fluentem, id est, perfectam, partibus, & omnibus gradibus absolvantem. 2. requirere à nobis contritionem ex toto corde fluentem, id est, veram & sinceram, non simulatam & hypocriticam, que in externis gestib⁹ tantum conspiciatur. 3. Ex his duabus dicimus posteriorē tantum in hac vita nobis possibilēm esse ; priorem verò compensare meritum & attritionem Christi, qui pro sceleribus nostris attritus est, Esa. 53. v. 5. 4. Scriptura s̄apē comparat̄ loquitur, & in respectu ad alios; ita s̄apē contritionem & dilectionem ex toto corde tribuit uni, respectu alterius HYPOCRITICè contriti.

XXX. VII. Contritionem habere vim reconciliandi peccatorē cum Deo, esseq. causam meritoriam remissionis peccatorum. Ita euim Bellarminus lib. 2. de Pœnit. cap. 2. Catholici communī consensu docent, Contritionem causam esse remissionis peccatorum. Compend. Theol. l. 6. c. 24. dicit, quid non solū culpa, sed etiam pœna tota propter eam remittatur. Ca-

50 Disputatio Theologica,
tech. Trident. pag 290. *Veræ contritionis ea vis est, ut illius be-*
neficio omnium delictorum veniam statim à Deo impetremus.
Idem sentiunt Lombardus, Thomas, Bonaventura, & alij.
Quorum tamen sententiam falsam esse patet I. quia est ex
lege. Vnde sic argumentamur: *Quicquid est ex lege, id non po-*
test remittere peccata. Contritio est ex lege. Ergo. Maior pro-
batur evidentissimis Scripturæ dictis, Rom. 3. v. 20, c. 4. v. 14.
Gal. 2. v. 16. c. 3. v. 11. Minor probatur thes. 31. & sequenti.
II. *Si nostra contritio veniam peccatorum mereri potest, vel*
FRVSTRA, vel non SVFFICIENTER Christus attritus est. Poste-
rius est falsum & impium. Ergo & prius. Consequens pro-
batur lucidissimis Scripturæ testimonijs, Esa. 53. v. 5. Rom. 4.
v. 25. Heb. 9. v. 28. item quod sufficenter attritus sit, 1. Ioh. 1.
v. 7. Sanguis Iesu Christi mundat nos ab OMNI peccato. Matt. 1. I.
v. 28. Venite ad me OMNES. Ratio Consequentia bona est; si
enim homo saluti suæ ipse consulere vel Contritione, vel
alio quovis opere posset, aut necesse haberet, tunc aut opus
non fuisset passione & auxilio alterius, aut illud insufficiens foret.
Excipit Bellarminus, per meritum nostræ Contritionis nihil de-
rogari Christi merito; Christum enim contritione sua promeritum
esse, ut & nostra contritio expiat peccata. Resp. Exceptio hæc
nulla est; Christus enim non est mortuus & attritus propter
BONA nostra OPERA, ut ipsa meritum aliquod acciperent, sed
propter iniquitates nostras, & delicta, quæ severitas judicij Dei
non tantum in peccatis, sed etiam in ipsis bonis operibus nostris
invenit. III. *Quod gratis conferitur & tribuitur, id non ex me-*
rito, Rom. 11. v. 6. Remissio peccatorum & iustificatio hominibus
tribuitur gratis, Eph. 2. v. 8. Ergo non ex merito vel operibus.
Regerit Bellarminus, licet merito contritionis nostra iustifice-
mur, gratis nos nihilominus iustificari; cum ipsa Contritio sit do-
num Dei. Resp. Immota manet oppositio Paulina: *si gratis,*
non ex operibus, vel ex merito aliquo, sive id sit ex condigno, sive
ex congruo. IV. Si contritio meretur remissionem peccatorum,
omnes contriti eandem consequentur. At posterius falsum esse
Exempla plurima testantur, Caini, Iude, Achabi & aliorum. Er-
go & prius. V. Contritio non est iustificationis nostræ causa
efficiens principalis, sed sola gratia Dei, Rom. 3. v. 24. 2. Tim. 1.
v. 9. non.

v. 9. non meritoria, quæ est obedientia Christi, Esa. 53. v. 11. non instrumentalis, quæ est fides, Gal. 2. v. 16. Ergo omnino iustificationem non efficit. Objic. Bellarminus lib. 2. de Pœnit. c. 12. I. Ezech. 18. v. 27. Cum averterit se impius ab impietate sua, quam operatus est, & fecerit iudicium & iusticiam, ipse animam suam vivificabit. Resp. 1. per rō avertere se ab impietate sua, non intelligitur contrito sola, sed tota pœnitentia cum fructibus, qui utrunque partem arguunt. Si enim lō averti ab impietate sua, causaliter exponamus, indicat terminum à Quo, & subinnuit terminum ad Quem; cum in omni aversione & conversione ut ergz terminus requiratur: & Deus non tam cœfationem à malo, quam operationem boni, postuler. 2. Phrasis vivificare animam suam non causaliter & effectivè est intelligenda, sed receptive & idem est, ac vivet, & non peribit, ut Propheta v. 28. explicat. 3. particula conditionalis SI, non est nota causa vel meriti, sed ordinis, sicut & Rom. 8. v. 17. 2. Tim. 2. v. 11. 12. 4. est Concio Evangelica. II. Objic. 2. Cor. 7. v. 10. Quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam ad salutem hanc pœnitendam parit. Resp. 1. Vocabulum salutis non refertur ab Apostolo ad tristiciam seu Contritionem, sed ad pœnitentiam, & quidem ῥυτονοχιας ad potiorem ejus partem, fidem scil. in Christum, cuius incitamentum est Contritio. 2. Ipse Apostolus docet, beatitudinis nostræ causam efficientem esse Christi attritionem, 1. Cor. 6. v. 11. cap. 1. v. 30. III. Ion. 3. v. 10. vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala, & misertus est Deus super malitiam, quam locutus fuerat, ut faceret eis. Resp. 1. Et hic describitur pœnitentia à consequenti, scil. operibus Ninivitarum, actu iam conversorum, quæ Deo placuerunt per fidem, Heb. 11. v. 6. Rom. 14. v. 23. 2. describitur fructus & utilitas pœnitentia scil. imperatio misericordia Dei, quæ potiori pœnitentia parti fidei scil. in Christum tribuenda est. 3. misericordia illa Dei consistit, vel in peccatorum remissione, & bonis spiritualibus, vel in mitigatione pœnarum, & bonis terrenis. Illa tribuuntur non nisi integræ & vera Pœnitentia; hanc consequuntur etiam contriti tantum licet fide destituti, ut de Achabo legitur, 1. Reg. 21. v. 27. IV. Psal. 51. v. 19. Sacrificium Deo Spiritus contribulatus. At

sacrificia Deum placare & gratiam impetrare solent. Ergo & Contritio. Resp. ad Maiorem , 1. Sacrificia *τυχηπισιναι* placent Deo, non verò eundem placant. 2. *ινασιναι* considerantur, vel ut repräsentativa, vel ut ex opere operato. ILLO modo possunt dici placavisse, quatenus offerens fide apprehendit sacrificio illo repräsentatum, sine qua adèd non placat Deum, ut eidem nec placeat, sicut Gen. 4. v. 4. Dominus respxit ad Abel, & ad munera eius, (quia ex fide obtulerat, Heb. 11. v. 4.) ad Cain verò & ad munera eius non respxit. Sic hircus emissarius abstulit à populo peccata propter antitypum Christum, Lev. 16. Hoc verò modo adèd non placant Deum ut ipse potius averetur illa & reiciat, Ps. 51. v. 18. Esa. 1. v. 11. Ps. 50. v. 8. Ier. 6. v. 20. Mal. 2. v. 13. Vnde 3. adversarij propria vineta cedunt dicto hoc Prophetico; sicut enim sacrificij V. Test. partes fuerunt duæ, materia scil. hircus, aries, &c. & forma, fides in antitypum, sine qua sacrificium Deo displicuit: ita pœnitentiæ partes quoq; duæ sunt, *Contritio & Fides*. V. Dan. 4. v. 24. *peccata tua iusticiam redime, & iniquitate tuas misericordiam pauperum.* Tob. 12. v. 9. cap. 4. v. 11. Eleemosyna à morte liberat, & ipsa est quæ purgat peccata, & facit invenire misericordiam, & vitam eternam. Resp. sciendum est, non unam aut alteram sententiolam è Scripturis S. excerptandam esse, & contra fideli analogiam, totiusq; S. Scriptura & consensum detorquendam, sed, quod omnes eruditæ noverunt, interpretatio sumenda est ex ijs locis & libris Scripturæ S. in quibus ex professo solidè & integrè aliqua tractatur materia. 2. Cum ergo S. literæ doceant, *sanguine Christi nos liberari ab omni peccato*, 1. Ioh. 1. v. 7. Act. 4. v. 12. sententiæ tam manifestæ non debent opponi alia, vel ex Apocryphis libris dësumptæ, vel tales, in quibus brevitas (ut Chemnitius loquitur) facit obscuritatem. 3. quoad verò hæc loca, diversæ, non tamen contrariae ipsorum traduntur explicationes; quidam enim, referente Chemnitio, part. 2. locor. in cap. de Paupertate p. 419. hoc modo interpretantur, quod complectatur Prophetæ doctrinam de Pœnitentia, sicut in V. Test. usitata erat: quidam accipiunt peccata de pœnis temporalibus persuasi contextu capitii; sicut enim rex querebat ex Daniele de remotione pœna temporalis, non de acquisitio-

guisitione vita aeterna: ita eidem Daniel de remorione aut mitigatione temporatis pœnae respondit: quidam per Inſticiam intelligent inſticiam fidei, moti cap. 9. v. 7, 18. Apologia August. Confess. dicit: eleemosynam liberare non acupia præteritorum peccatorum, sed a futuris peccatis. Verba formalia in Exemplari Germanico primario, ita habent: Auff die Weise (ut in præcedentibus) mögen wir nachgeben/dass die Almosen nicht unverdienstlich seyn gegen Gott/ nicht aber dass sie können den Todt/ die Hölle/ den Teuffel/ die Sünd vberwinden/ die Gewissen zu Ruhe stellen (dann das muss durch den Glauben an Christum/ allein geschehen) sondern verdienen/dass uns Gott schützt/für künftigem Übel/ und Gefahr Leibs und der Seelen: Capite, de Dilectione & Impletione Legis. Brentius dicit, eleemosynam à morte & peccato liberare, quia restificatur de fide, sicut fructus de bonitate arboris. Verba ergo Danielis intelligi possunt I. de peccatis non præteritis commissis, sed adhuc in futurum committendis, ut sensus sit: abrumpe peccata tua, & exerce in posterum iusticiam ac misericordiam; & illa te liberabunt à peccatis. h. e. Dominus te, ne in nova ruas peccata, clementer custodiet. II. de peccatorum pœnis, quomodo Phrasit Scripturæ Levit. 20. 19. Num. 9. 13, & alibi peccatum pro pœna peccati usurpatur, ut sensus emergat: Minatus est tibi Dominus expulsionem è regno: temporalem hanc pœnam si vis avertere, misericordia studeas, & sic erit sanatio peccatorum tuorum, seu, uti verba in Hebræo sonant, ecce erit prolongatio pacis tue; quæ verba clarae innuunt, de abolitione pœnarum corporalium Prophetam loqui. III. ον μαύλι ωσευ argutivè, de fide & remissione peccatorum, hoc sensu, veram age pœnitentiam, (cuius præcipua pars fides est in Messiam) ac commissa peccata expia misericordia, hoc est, ostende fructibus novæ obedientiæ, illa vera fide in Messiam expiata esse. VI. Luc. 7. 47. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Hoc loco dilectio sive contrito ex dilectione, quam lacrymateſtabantur, apertissime dicitur causa remissionis peccatorum, siquidem particula illa QUONIAM, causalis est. Resp. I. Causa remissionis peccatorum, in S. literis ubique ostenditur, meritoria quidem SOLVS Christus, Actor. 4. v. 12. cap. 10.

§4 Disputatio Theologica,

v.43. Rom. 3. v.24. *Instrumentalis* verò, *sola fides*, Luc. 7. v.50.
Rom. 3. v. 28. Gal. 6. v.16. Eph. 2. v.8. non verò *opera nostra*.
2. *vocabulum*, QVONIAM, non semper est *causale*, sed inter-
dum *ratiocinativum*, indicans non *causam rei*, sed *causam af-*
fectionis sicut 1. Ioh. 3. v.14. quod 4. & hoc loco fieri συνάφεια
textū evincit; vers. enim 41. seqq. ostendit, *quoniam plus di-*
ligat, ille nimurum, *cui plus sit donatum*; ubi dilectionis cau-
sam ponit *donationem*, quam parabolam deinde applicat ad
peccatricem, quòd & illa multum diligat, quia *multa ipsi sint re-*
missa peccata. 4. Exemplum à nostro scopo est alienum; quæ-
ritur enim hic de *merito contritionis*, exemplum est de *fructu*
pénitentia, de *dilectione*, unde licet vox QVONIAM, *causalis* esse
concederetur, non tamen *Contritionem remissionis peccatorum*
causam esse sequeretur, sed hoc, *fidem*, ut potiorem *Pénitentia*
partem, qua per *dilectionem* est *efficax*, Gal. 5. v.6. *instrumenta-*
liter salvos facere. VII. Rationes afferit Bellarminus, 1. ora-
tio peccatoris placat Deum, & veniam impetrat; Ergò multò ma-
gis *Contritio*, ut orationis *causa*. 2. *Actus Pénitentia* est à *Spiri-*
tu Sancto, & ad *iusitificationem* disponit. Ergò suo modo erit *cau-*
sam iusitificationis. Resp. 1. orationem *devotam* & *ardentem*, si-
cuit & *seriam contritionem*, *irritam* & *frustraneam esse*, non di-
cimus. 2. ipsam verò ex *opere operato salvare* & usui esse, per-
negamus, cum constet, multorum *Contritionem*, Caini, Iu-
dæ, &c. & orationes *irritas* fuisse, Mosis, Exod. 33. v.20. filio-
rum Zebedæi, Matth. 20. v.22. & aliorum, sed 3. ut oratio
non sit frustranea, requiritur *fides* in *meritum Christi*, Joh. 16.
v.23. Iacob. 1. v. 6. unde oratio *veniam impetrat* non *ratione*
meriti precantis, sed *ratione meriti Christi*, in cuius nomine
preces peragimus, & ordinis à Deo determinati. 4. *Contritio-*
nem absque fide orationis causam esse negamus, cum contri-
tus non oret, nisi accedat *fides*, impetraturum se petita.
5. commode addit Bellarminus, *actum pénitentia* suo modo
causam esse iusitificationis, eo nimurum, quo *causa latissimè* su-
mitur pro omni eo, quod *quocunque modo rem præcedit*, sive
ratione causalitatis, sive *ratione ordinis*.

XXXI. VIII. *Contritionem dicunt esse ex Evangelio*,
Bellarminus l. 2. de *Pénit.* cap. 2. prop. 3. Nos, *præmissi* di-
stinctio-

de Pœnitentia.

55

ſinctionibus Legis & Evangelii, Contritionem dicimus oriri ex
Lege propriè, non ex Evangelio. Sumitur autem Lex 1. pro
universali doctrina. 2. in genere pro omni doctrina, qua aliquid
principit, ut lex fidei, Rom. 3. v. 27. 3. pro legibus ceremoniali-
bus. 4. pro legibus moralibus. 5. pro toto Vet. Test. 6. pro
quinqu libris Mosis. Evangelium sumitur 1. pro historia ab
Evangelistis prescripta. 2. pro Evangelio annunciatione. 3. pro
toto N. Test. 4. pro sola doctrina de gratuita per fidem in Chri-
ſum reccatorum remissione. Nunc assertionem nostram figui-
ficatione Legis & Evangelii QVARTA sumptu probamus;
I. Quicquid monstrat atrocitatem peccati, & gravitatem iræ di-
vinæ, illud est ex lege. Contritio monstrat atrocitatem peccati, &
gravitatem iræ divina; Ergo est ex lege. Maior probatur Rom.
3. v. 20. c. 7. v. 7. Minor patet exemplis omnium contrito-
rum: Iudas sensit in corde suo atrocitatem peccati sui, proditio-
nis: sensit gravitatem iræ divina. Publicanus itidem, Luc. 18.
& alij. II. In Evangelio est solatum. In Contritione non est
solatum. Ergo. Maior patet tum ex Esa. 61. v. 1. tum ab Ety-
mologia vocabuli Evangelii. Minor probatur, quia lex
damnat omnes, qui non permanent in omnibus, Deut. 27. v. 26.
Gal. 3. v. 10. quales sunt omnes homines, Act. 15. v. 10. Rom. 3.
v. 20. III. Terror est ex lege. Contritio est Terror. Ergo.
Minorem negat Bellarminus, 1. cum per Contritionem cor
peccatoris molliatur, humilietur, & legi Dei subiiciatur. 2. cum
terrores etiam in corde duro ac superbo esse possint. 3. cum con-
tritis et tribuantur, qua territis non convenient. 4: cum in de-
scriptione contritionis nō tantum terrorum, sed etiam gemituum,
lachrymarum, &c. mentio fiat. Resp. 1. omnibus hisce sese
Bellarminus non defendit; mollio enim; humiliatio & sub-
iectio nihil aliud sunt, quam terrores, non tamen externi &
corporales, sed interni & spirituales. 2. effectus hi aperte tri-
buuntur legi; nam Ier. 23. v. 29. lex dicitur malleus Petras con-
terens, id est, corda humilians. 3. etiam Contritio potest
esse in corde duro ac superbo, ut apparat in Achabo. 4. gemi-
tus, lachrymæ, &c. essentialiter non requiruntur ad Contritio-
nem, cum posset esse absque illis, concomitantur vero in-
terdum illam ad declarandam seriam Contritionem. Ratio-
nes

nes Bellarmini sunt I. Ezech. 11. v. 19. cap. 36. v. 26. promittit Deus promissione Evangelica cor novum, id est, contritum. Resp. 1. agitur in his locis potissimum de ministerio verbi, promittitur enim Spiritus novus, qui per ministerium renovatur us sit corda hominum, ut sponte ipsi parere cupiant, 2. per novum cor non intelligitur cor contritum tantum, sed renovatum, quod vera Dei cognitione lucet, charitate proximi, & zelo vita rectius instituendæ flagrat, ut ita 3. in his locis promittatur filiis N. Test. Spiritus, qui non tantum contritionem, sed totam paenitentiam & omnes bonos fructus sit operatus: II. dicit Bellarminus, Christum & Apostolos predicatores Evangelij praedicasse Contritionem quoque. Respond. 1. Status Controversia est, an Contritio perireat ad Evangelium in quarta significazione sumptum, quatenus nullam facit legis mentionem, quod negamus. 2. Christus & Apostoli non praedicarunt Evangelium remotâ omni mentione legis, sed praedicaverunt Paenitentiam totam, cum omnibus suis partibus, in qua doctrina Legis & Evangelij quovis Mathematico punto coniunctiores sunt, ut D. Lutherus in cap. 3. Galat. loquitur. III. Lex vetus non habet promissionem gratiae, nec eius opera Deo sunt grata. At contritio Deo est gratissima. Resp. 1. Lex vetus, ab omni Evangelio remota non habet promissionem gratiae, sed tantum damnat. 2. opera legis pro qualibuscumque externis operibus Deo non sunt grata, opera vero renatorum, quæ dicuntur opera Legis, quia normam & regulam habent legem, quatenus ex Spiritu S. operatione ex fide proficiuntur Deo placent. 3. Quomodo Contritio Deo grata sit, supra ostensum est. IV. Obiic. Si nulla est ratio, cur Contritio ad Legem sit reiicienda, ea est, quia proprium Legis est terrire, Evangelii vero consolari. At posterius est falsum; ut enim Evangelium consolatur obedientes & fideles, ita terret inobedientes & infideles. Ergo & prius. Assumptionem probat ex comminationibus concionum Christi, & Rom. 1. v. 17. ubi Paulus iram Dei de Cælo super omnem impietatem in Evangelio revelari dicat. Resp. 1. Falsum est, Christum inobedientibus gehennam, atque exitium ex Evangelio minatum; ut enim non venit solvere legem, sed adimplere Matth. 5. v. 17. ita in concionibus

nibus suis legem quoque adhibuit tam explicando, quam ex examinando. 2. Paulus non dicit iram Dei, sed institutum revelare in Evangelio.

XXXII. IX. Necessarium esse afferunt, sub amittenda salutis & retinendorum peccatorum periculo, ut homo, qui ad annos discretionis pervenit, peccata omnia & singula, quae post diligentem præmeditationem & distinctum examen in mentem venerunt, quotannis certo tempore per suas circumstantias in aures Sacerdotis denarret. Concil. Trident. Ses. 14. c. 5. can. 6. 7. 8. Decret. Pontif. de Pœnit. cap. omnis utriusque sexus. Bellarm. lib. 3. de Pœnit. c. 12. Nos auricularem illam singularum peccatorum recitationem sub necessitatibus à Pontificiis mandatam teiicimus, 1. quia caret divino mandato, promissione & exemplo Christi & Apostolorum, quos Christus misit, sicut ipse à Patre est missus, Ioh. 20. v. 21. quod non solum è Sacris est certissimum, sed & ab adversariis, Panormitano, Felino & aliis conceditur. Excipiunt Bellarm. l. 3. de Pœnit. c. 17. & Costerus in Enchir. c. 11. obiecit. 5. 1. tum Sacra mentum Confessionis nondum fuisse institutum. 2. Christum à Sacramento non pendere, ideoq; non sine confessione modò, sed & sine baptismo peccata remisso. 3. Christum, cum fuerit Deus, peccata contra se & legem suam facta simpliciter donare potuisse. 4. Ioh. 20. Apostolos à Christo missos, sicut ipse à Patre, ideo duci quia 1. eis potestatem ligandi & solvendi dedit, sicut ipse acceperat 2. ad id eos miserit, ad quod ipse missus fuerat, vid. ad reconciliandos homines Deo, ad prædicandum Evangelium, & propagandam Ecclesiam. 3. miserit eos ad crucem, non delicias. Resp. ad 1. concedendo, Sacramentum Pœnitentia, nec tempore Christi, nec Apostolorum institutum fuisse. ad 2. Christum sine baptismo aut verbo, seu organis fides ordinariis, remisso peccata, non probabunt; ad 3. conceditur, Deum legibus suis subiectum non esse, ut appareat Exod. 3. v. 22. c. 11. v. 2. c. 12. v. 35. Christum verò, contra legem suam de Confessione speciali peccata remisso, petitio est principij; nondum enim probatum, hanc ab ipso institutam esse. ad 4. concedimus omnia, nec illa tamen argumento nostro quicquam derogant; manet enim

H. relatio.

58 Disputatio Theologica,

relatio inter legatum & legantem, ut quorum mandata & execratio consentire debent. II. quia eius contrarium extat in S. literis, quod nimurum multis, qui tamen specialiter peccata confessi non sunt, iniquitates sint remissæ, Matth. 9. v. 2. paralytico: mulieri peccatrixi, Luc. 7. v. 48. & pluribus alijs. III. quia est impossibilis, cum enim justi quotidie cadant, & singulis tantum annis Confessio illa sit reiteranda, quis justo numerum peccatorum suorum in memoriam revocabit, ne-dum iniusto? delicta quis intelligit? Psal. 19. v. 13. Excipit Bellarminus lib. 3. de Pœnit. c. 17. & 21. Non exigi absolute omnium omnino peccatorum enumerationem, sed eorum solum, qua post diligentem memoria excusione occurunt. Concil. Trid. Ses. 14. cap. 5. dicit: ex his colligitur, oportere a pœnitentibus omnia peccata mortalia in Confessione recenseri. Scotus, Durandus & alij venialia recensenda esse afferunt. Resp. 1. Exigere illos narrationem omnium peccatorum patet non solum ex antiquo illo; non confessum, non remissum; sed etiam è modernorum Pontificiorum scriptis. Catech. Rom. part. 2. cap. 2. de Sacram. Pœnit. q. 40. In Confessione curandum est, ut integra & absolta sit; omnia enim & singula peccata mortalia enumeranda sunt, quantumvis etiam occultissime lateant, & eius generis sint, quæ duobus tantum extremis Decalogi preceptis introducuntur. Si quis ex iis, quæ enumerari debent, aliquid prætermittit, tum non solum ex Confessione illa nullum commodum talis consequitur, sed novo scelere se obstringit. Hæc ipsi Romanenses. 2. Contritionem requirunt sufficientem, Ergo & Confessionem. 3. Errant statuentes, peccata venialia esse recensenda, cum sua natura nullum sit veniale, de quo suo loco. IV. quia est intolerabilis Conscientiarum carnicina; Confessor enim in perpetuo cogitur hærere dubio, ne forsitan peccatum aliquod memoria non occurrit, ideoque remissum non sit. V. Ipsi Patres etiam Ecclesiæque Antistites Confessionem hanc specialem abrogarunt, & non-necessariam duxerunt. Nectarius Episcopus Constantinopolitanus propter flagitium diaconi in templo cum Nobili fœmina commissum, Confessionem anricharem abrogavit, teste Socrat. lib. 6. cap. 19. In quam abro-

abrogationem consensit & Successor eius Chrysostomus, qui sibi in concionibus suis populum adhortatus est, ut peccata sua Deo confiterentur. In Psal. 50. hom. 2. & alibi: Solus Deus te confitentem videat, si confunderis alicui dicere, quæ peccasti, dico quotidie ea in anima tua: non dico, ut confitearis conservo tuo, qui exprobret, dico Deo, qui curat ea. Augustin. Confess. lib. 10. c. 3. Quid mihi ergo est cum hominibus, ut audiant Confessiones meas, quasi ipsi sanaturi sint omnes languores meos? Curiosum genus ad cognoscendam vitam alienam, desidiosum ad corrigendam suam. Excipit Bellarminus 3. de Pœnit. c. 14. Nectarium publicam tantum Confessionem abrogasse. Sed nullis id fundamentis, cum illam Confessionem abrogari, in qua flagitium istud erat commissum, in privata scil. non publica VI. Possimus etiam opponere Canones & decreta Iuris Pontificii. can. 36. distinct. 1. de Pœnit. Cum ante Confessionem simus resuscitati per gratiam, & filii lucis, evidenter patet, quod sola contritione cordis, sine Confessione oris peccatum dimittatur. Can. 37. Fit Confessio ad ostensionem Pœnitentia, non ad impetrationem venia. Sic & Can. 87. & 90. Rationes pro sua sententia affert Bellarminus, I. Matth. 16. v. 19. c. 28. v. 18. Ioan. 20. v. 23. ubi ait: Christum instituisse Sacerdotes iudices super terram cum ea potestate, ut sine ipsorum sententia nemo post Baptismum lapsus reconciliari possit: sed nequeunt Sacerdotes recte indicare, nisi peccata cognoscant. Ergo iure divino tenentur, qui post Baptismum lapsi sunt, peccata sua Sacerdotibus aperire. Resp. 1. Tradita quidem fuit Apostolis potestas remittendi & ligandi, non tamen absoluta, ut licuisset ipsis pro suo arbitratu solvere & ligare, quem vellent, sed suis terminis circumscripta, solvendi scil. pœnitentes, ligandi vero impios, unde cautione sobria opus fuit, ne solvendos ligarent, ligandosve solverent. 2. loca citata à statu sunt aliena; loquuntur enim de Absolutione, non Confessione. Nec quicquam proficiunt dicentes, Absolutionem præquirere Confessionem; à Confessione enim generali ad singulorum narratioem non valet progressus. II. Gen. 3. v. 10. Exegit Deus peccatorum Confessionem ab Adamo & Eva, cap. 4. v. 9. a Caino.

60 Disputatio Theologica,

Resp. 1. Confessiones hæ factæ sunt *Deo*, non *homini*, non *Angelo*, ut Bellarminus statuit, ut patet ex cap. 3. v. 8. 11. 15.
 2. Caini Confessio coniuncta fuit cum desperatione; Ergò magis à statu aliena est. III. Num. 5. Lev. 5. Mandatur Confessio peccatorum. Matth. 3. multi accurvant ad Baptismum Ioannis confitentes peccata sua. Resp. 1. Nihil hęc omnia pro Confessione singulorum peccatorum, sed tantum pro generali.
 2. Siebat in V. Test. Confessio Sacerdoti, qui non erat typus ministrorum, sed Christi, Summi nostri Sacerdotis; unde sicut in V. Test. peccata generaliter deponebantur apud Sacerdotem: ita in N. confiteri debemus Christo. IV. Act. 19. v. 18. Multi credentium veniebant, confitentes & annunciantes actus suos. Resp. 1. Per actus non intelliguntur peccata, sed miracula, ut Chrysostomus & Lutherus ostendunt, non enim aquæptas, sed ἀργέτες textus habet. Excipit Bellarminus, per actus non posse intelligi miracula, cum sint opera divina, non nostra. Resp. Miracula principaliter sunt opera Dei, instrumentaliter vero etiam Apostolorum, ut qui ea facere Iohan. 14. v. 12. Deoque cooperari, Marc. 16. v. 20. dicuntur. Et Stephanus prodigia & signa fecisse legitur, Act. 6. v. 8. ubi equidem Stephani operatio, ab editis à se miraculis, non excluditur. 2. Etsi de Confessione peccatorum locus intelligendus esset, non tamen specialis singulorum evinceretur. 3. daretur exemplum, non praeceptum. V. 2. Cor. 5. v. v. 20. Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. At legati, qui mittuntur cum potestate reconciliandi inimicos Regis cum ipso Rege, non possunt recte munere suo defungi, nisi cognoscant ex ipsius reis, quid egerint. Resp. 1. ab hominum praxi non statim infertur processus divinus. 2. id facere tenentur legati, quod faceret legans, si ipse rem expediret. At Christus nuspiam specialem singulorum peccatorum enumerationem petuisse legitur. Ergò nec legati eius id facere tenentur. 3. legato commissioni suæ nec addere nec demere quicquam licet, extra id, quod ipsi demandatum. At nusquam Apostolis ipsorumve Successoribus eiusmodi Confessio petenda demandata legitur. VI. Iac. 5. v. 16. Confitemini invicem pec-

cata



xata vestra. Resp. 1. Loquitur Apostolus non de enumeratione speciali peccatorum, sed de Confessione offensarum. 2. illa Confessio facienda est non Sacerdoti, sed *ad alios, invicem.* VII. 1. Joh. 1. v. 9. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est et iustus, ut remittat nobis peccata nostra.* Resp. loquitur hic Locus de Confessione *coram Deo*, quod contextus manifestissime docet: Si confiteamur peccata nostra: cui est illi, qui fidelis est, hiulus siquidem foret contextus, si Confessionarius hic intelligatur *Sacerdos*, cuius in toto capite nec implicitè, nec explicitè sit mentio. Quod vero Bellarminus obicit, nullam extare promissionem de remittendis peccatis illis, qui Deo confessantur, id toti S. Scripturæ repugnat, Psal. 32. v. 5. 6. Mittimus jam argumenta Bellarmini, quæ ex testimonio Patrum, ab antiquitate, difficultate, utilitate & per miracula confirmatione profert, cum aut sint plane falsa, aut agant de *Confessione publica*, aut de *privata aliquorum libera*.

XXXIII. X. Statuunt, velle Deum, ut post Baptismum lapsi satisfaciant pro pœnis temporalibus. Vbi tamen notanda est dissensio ipsorummet Pontificiorum, quorum alij pro culpa, alii pro pœna: alij pro pœna aeterna, alii pro temporalibus satisfaciendum esse statuunt: quidam *nullum opus satisfactionem esse aequivalentem peccato, nisi per fidem coniungatur passioni satisfactoria Christi*, tamen hominem habentem gratiam seu charitatem posse Deo pro peccatis satisfacere disputant. Hæc & alia de indulgentijs Papalibus, Anno Iubilæo Pontificio, & reliquis, cum suo loco sint tractata, brevitatis amantes, hoc loco mittimus.

XXXIV. Errant IV. PHOTINIANI, statuentes I. *Fidem non esse partem Pœnitentiae.* Smalcius contra Franzium fol. 353. Nos vero, loquentes non de initio Conversionis, sed de toto & integro eiusdem attu, idem negamus, 1. quia in omni Conversione est terminus à *Quo* & ad *Quem*. 2. est *opus ad uitam*, Actor. 11. v. 18. quod requirit fidem, Heb. 11. v. 6. de quibus supra th. 11. & 22.

XXXV. II. *Novam obedientiam esse partem essentialem Pœnitentiae.* Smalcius contra Frantzium fol. 353. Nos

opera necessaria quidem ducimus, sed partem essentialē esse negamus, I. quia fructus arboris, non est pars arboris, nec consecutivum rei est eiusdem constitutivum. Bona opera sunt fructus pœnitentia, Matth. 3. v. 8. Act. 26. v. 20. Excipit Smalc. fol. 356. 1. vocem fructus figuratē sumi pro omni eo, quod suo modo consequens est. 2. in Pœnitentia vera constituenda non requiri statim à primo punto bonorum operum executionem, sed satis esse, si quis habeat consummatam voluntatem praestandi omnia bona opera Resp. concedimus omnia, ex quibus sequitur, bona opera non constituere formaliter & essentialiter partem Pœnitentia. II. Ut se habent bona opera ad nostram coram Deo iustificationem, ita se habent ad veram Pœnitentiam; Sed iustificationis partes non sunt; Ergo nec Pœnitentia. Obiic. I. Obedientia est forma Pœnitentia, quia pœnitentia in mutatione mentis & actionum inde manantium consistit. Resp. mutationis vel notat dolorem de peccatis vel actuale exercitium: ille est pars Pœnitentia, hoc sequitur. II. Bona opera sunt necessaria ad salutem Heb. 12. v. 14. Resp. Sunt necessaria, ut conditio, sine qua iam iustificatus regnum Cœlorum non ingreditur.

XXXVI. III. Pœnitentiam salutarem libero arbitrio adscribunt, Ostor. Instit. German. cap. 21. pag. 148. de quo supra th. 26.


XXXVII. IV. Denegant habitualiter & ex deliberaata malitia peccantibus post agnitam veritatem ordinarium regressum ad Pœnitentiam & gratiam vi novi fiederis. Smalc. in ref. th. Frantz. de Pœnit. pag. 354. de quo supra thesi 17.

Et tantum hac vice de Pœnitentia. Tu Deus,
converte nos, & convertemur.

Amen.

F I N I S.





05 A 1634



Bd. 1



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



Disputatio Theologica,
De
POENITENTIA.

Quam
DEO JUVANTE,
SUB PRÆSIDIO,
Reverendi & Excellentissimi Viri,

DN. THEODORI
THUMMII, S. S. THEOLOGIÆ
Doctoris, ejusdemq; Professoris,
& Ecclesiæ Decani,

Defendere conabitur

M. JOHANNES CHRISTO-
PHORUS HESS, UHINGENSIS,
SS. Theol. Stud. Stip.
Princ.

Ad dies & fulg.



TVBINGÆ,

Typis & Formis Werlinianis, Anno

M. DC. XXIX.